



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

B. USUM.

X 438/452





CHRISTOPHORI CELLARI.
CURAE POSTERIORES
DE
BARBARISMIS ET IDIOTISMIS
SERMONIS LATINI.



Pura turbant

IENAE.
Sumtu Ioannis Bielcki Bibliop.
A. 1705.

CHRISTOPHORI CELLAR
SMALCALDIENSIS
CVRAE POSTE
RIORES

DE

BARBARISMIS ET IDIO
TISMIS SERMONIS LA-
TINI

TERTIUM

RECOGNITAE ET PLVRIMIS LO-
CIS AVCTAE.

C. IVLIVS CAESAR.

*Tanquam scopulum, sic fugias inauditum
atque insolens verbum.*

I E N A E

Sumtu Io. BIELCKII, Bibliopolæ
Typis IO. DAV. WERTHERI

M DCC.

*VIRO MAXIME REVEREN-
DO ET CELEBERRIMO*

**ADAMO RE-
CHENBERGIO,**

**S. THEOLOGIAE IN ACA-
DEMIA LIPSIENSI PRO-
FESSORI P. ORDINARIO
DIGNISSIMOQVE**

S. D.

**CHRISTOPHORVS
CELLARIVS.**

Vnde viginti an-
ni sunt, quum
Curas has, primum
mihi sub natas, ce-
a 2 leber-

leberrimo nomini
 tuo, & beatissimi
 vna FELLERI,
 perspecta vestra,
 vtriusque in me be-
 neuolentia, dedica-
 rem. Qua formula
 explicabam, qui
 primus aditus mihi
 ad amicitiam ve-
 stram patuerit, vt
 publico voluntatis
 meæ signo prouo-
 carem vestram, ad
 magis firmandum,
 quod

quod mecum ini-
eratis, foedus amo-
ris & numquam
cessaturæ amicitiae.
Hæc integra repe-
tita mihi sunt, ne
verbo quidem im-
mutato, iterata sex-
tum post annum e-
ditione. Interea fa-
cto ereptus alter, cui
libellum hunc sa-
crum volebam esse,
quamvis memoria
eius, & quem ille

candorem præsefe-
 rebat, mihi non vn-
 quam possit eripi.
 Non enim, quod
 multi faciunt, ita in-
 stitui colendam mi-
 hi amicitiam, vt vi-
 uentes tantum a-
 mem, mortuorum
 æque, ac si num-
 quam cognossem,
 obliuione capiar:
 sed sicut virtutis,
 quæ fundamenta
 dat veræ amicitiae,
 æterna

æterna lex atque ra-
 tio, & forma im-
 mortalis est; ita
 præfentes officiis
 colo, quibus pos-
 sum: defunctorum
 memoriam, vt fan-
 ctam, mihi adferuo,
 & quotiescunque
 fert occasio, laudi-
 bus, vt par est, reco-
 lo, & nihil intermit-
 to, quod tuendæ il-
 lorum dignitati &
 existimationi ali-
 a 4 quid

quid adferat: vt sic
 numquam in ani-
 mo meo communis
 quondam amicus
 noster, ille candi-
 dus IOACHIMVS
 ac sine felle FEL-
 LERVS intermo-
 riatur. TE vero ser-
 uet Deus, VIR ma-
 gnopere reueren-
 de, vt alterum ami-
 citiæ genus quod
 mutuo vfu & offici-
 is nutritur, TECUM
 colere

colere & exercere
diutius possim, &
novis sæpe docu-
mentis ostentare,
quanti TE faciam, ac
quanta cum volu-
ptate, me a TE tanti
fieri, quanti me vel
supra meritum fa-
cis, intelligam. Ac-
cedit nova nunc rā-
tio repetendæ nun-
cupationis, novum
tuum & sanctissimæ
gravitatis munus,

cui diuino fato præ-
fectus es, cuius sum-
mos honores Deum
TIBI fortunare vo-
lo, vt non minus in
posterum ad publi-
cam rem ecclesiæ,
quam adhuc ad lit-
terariam fructus
amplissimos salu-
berrimosque adfe-
ras. Quod me ex
animo TIBI velle,
apud TE repetita
dedicatione obfi-
gno,

gno, & me semper
fore, qui sum &
tui, hoc est virtu-
tis tuæ & candoris
æstimatorum fin-
cerissimum, con-
firmo. D. Halæ
idibus Septembris.
CIC ICXCIX.

PRAEFATIO PRI-
MAE EDITIONI
PRAEFIXA.

Triennium est, cum roga-
tu amicorum, quæ olim ex
illustris Vossii libro de *Vi-
tiis Sermonis*, collegeram, &
clarissimorum virorum *Scioppi*
& *Ioannis Vorstii*, etiam dome-
sticis observationibus reddide-
ram auctiora, in lucem & cen-
suram eruditorum emisi. Vix
editus erat ille *Antibarbarus* li-
bellus, cum ex Dania adferun-
tur *Cogitationes*, quas in eorun-
dem virorum, Vossii, Scioppii,
Vorstii, eruditos labores O L A V S
B O R R I C H I U S, vir nobilissi-
mus, contulerat. Obstupui,
summopere miratus, esse sæculi
nostri Varronem, *Ger. lo. Vossium*,
in multis, quæ ad Latinitatem,

PRAEFATIO VETVS:

pertinent, aliquid humani pas-
 sum. Viam, quam Daniae illud
 sidus monstrabat, strenue in-
 gressus sum, & scriptores veteres,
 quos Classicos appellamus, prae-
 fertim solutae orationis; etiam,
 sequiores, tamen alicuius nomi-
 nis, inde a saeculo Theodosii &
 Honorii ad Ciceronis tempora
 regressus, quantum licuit per
 officii rationes, legendo percu-
 curri fere singulos. Molestiam,
 quam sustinui, ut patet, in labo-
 re non mediocri, pensavit lar-
 gissime utilitas, quippe innume-
 ra deprehendi, quae in Lexicis &
 Latinitatis Thesauris frustra in-
 quisueram. Hisce tandem ad fi-
 nem perductis, de barbarismis li-
 brum retractavi, quae perperam
 aliorum auctoritate posita erant,
 emendavi, aut in locum suum
 restitui. Iam in eo eram, ut pre-

PRAEFATIO VETVS.

lo subiicerem, quæ emendatiora habebam secundis curis ; cum ecce Basilii Fabri Thesaurus, novissime ex schedis summi viri , AUGUSTI BUCHNERI , denuo locupletatus [anno c15 13c LXXX.] prodiret. Cupidus inspexi novum librum, ut peruiderem, quæ ex Buchneri ingenio egregia accessissent. Cum vero toties Antibarbarum meum allegatum vidi, etiam in iis partibus, quas retractatas iam editurus eram ; vehementer dolui, de consilio illo nihil mecum communicatum esse, ut meliora, quæ in scriniis habebam, ad editionem Thesauri, principis hoc tempore inter Latina Lexica, pro mea iuvandi rem litterariam voluntate, adferrem. Amica enim manu, quanquam cuius, nescio, adscripta sunt [editione c15 13c LXXX.] meis verbis &

PRAEFATIO VETVS.

nomine, exempli caussa in *Feriox*,
Internus, *Sensus*, *Habitaculum*,
Oblivioni tradere, *Vulgariter*, &
aliis multis locis, quæ malim, ad
ea quæ Curis Posterioribus expres-
si, correctæ & conformata essent:
[ut emendata omnia sunt posterioribus
illius Thesauri editionibus, nostro studio
atque labore aliquoties locupletatis]
Hæc Te, BENEVOLE LE-
CTOR, ignorare nolui. Tu
vero bene vale, & si quid erra-
tum etiam secundis curis fuit,
pro æquo humanitatis iu-
dicio benigne inter-
pretare.





PRAEFATIO

EDITIONIS SECVNDÆ.

Superiore proloquio indicatum fuit, quā inducti causa posteriores curas nostro de barbarifinis libello addiderimus: nunc rationem iteratæ editionis reddere non erit ab officio alienum. Postquam CVRAS SECVNDAS in lucem edideramus, vir semper honoris causa nobis appellandus, & Hafnienfis Academiae eximium decus,

CUS, OLAVS BORRICH-
 VS, ordinariis illas lectio-
 nibus, ut ex programma-
 te perspeximus, examina-
 vit, & animaduersiones
 suas Analectorum nomi-
 ne sequenti anno publici
 iuris fecit. Grata nobis
 tanta viri diligentia fu-
 it, quod multa in memo-
 riam represit, quae exci-
 derant: multa nova &
 inobservata perdocuit: in
 ceteris stimulum dedit, ut
 maiori industria in com-
 munem causam incum-
 beremus. Convenit inter
 utrumque nostrum, &
 mutuis litteris alter alte-
 ri

ri confirmavit, propositum unice esse, ut publico his studiis inserviat, nihil privatis rationibus detur, nisi amicitiae officia, quae ipsa studia, quibus dediti sumus, colenda nobis precipiunt. Nihil enim indignius est & ab humanitatis lege alienius, quam de studiis litterarum atrociter pugnare. & quod benevole fieri amiceque oportebat, acerbam contentioni committere. Hoc animo ad modestiam humanitatemque composito, cum novam editionem bibliopola popu-


lula-

*stularet, adgressus denuo
 sum POSTERIORES
 CVRAS, quæ meliora
 ex Borrichiano ingenio
 didiceram, aut nostro ob-
 servaueram studio, suis
 quaque locis inserui: ubi
 ex librorum variante scri-
 ptura, vel ex aliorum au-
 thoritate dissensus ortus
 fuerat, pro ingenua liber-
 tate modeste ita proposui,
 ut humanitatis officium
 nequaquam obliuiscerer.
 Magnus mihi VOSSIVS est,
 acutus SCIOPPIVS, bene
 meritus VORSTIVS, nec
 aliter de tantis nomini-
 bus sentire decet: de BOR-
 RI-*

RICHIO autem nihil a me,
 nisi ut de viro summa do-
 ctрина prädito, dictum
 velim, qui non fateri tan-
 tum, sed pra me ferre
 etiam ac predicare so-
 leam, tantum me ex illi-
 us lucubrationibus cepisse
 fructum, quantum ex ali-
 us, qui hoc studio versatus
 fuit, neminis. Liceat
 tamen bonae pace & bo-
 na cum venia interdum
 dissentire, quamvis tum
 pauca, tum etiam levia
 sint, & pleraque ex li-
 brorum variationibus na-
 ta, in quibus aliter sen-
 timus, saltem dubita-
 mus,

mus, ac *Analectis* exhibuerat vir laudatissimus. *Divisionem* seculorum & periodos temporum retinuimus, ut florentior latinitas a flaccescente aut exsiccata distinguui possit, penitusque intelligi, quo ordine & quibus temporibus elegantissima lingua pulchritudinem suam & ornamenta amiserit. Quae vero humani ingenii conditio est, hac ita limare perpolireque non licuit, ut non opus sit veniam precari, si quid secundis etiam tertiisque curis erratum sit, quam

*quam ab omnibus facilitio-
rem speramus, qui a quo
iudicio perpendunt, quam
lubrica res sit ac permole-
sta, rariores in Latio her-
bas colligere, sterilesque
eradicare.*





CVRARVM POSTERIORVM

DE

BARBARISMIS

& IDIOTISMIS

PROLEGOMENA.

ARdua res est, de Barbarismis & Solœcismis Latini sermonis scribere, cum & ingeniorum, multitudinem, & temporum mutatione, quæ ipsum dicendi genus mutant, longe se ille atque late diffundat. Neque enim ut barbara reiicienda sunt, quæ apud Ciceronem, Terentium, aut similes non inveniuntur. Paucorum monumenta, qui aureo Latinitatis sæculo clari fuerunt, ad nostra tempora transmissa sunt, ut ex illis de vniuersa Lingua iudicare non liceat. Quod igitur in militia fieri solet, ut in supplementum

A

illos

illorum, quos Martis vis, aut casus, aut fatum eripuit, noui milites arceſſantur, ne exhausta acies robur ſuum amittat; id in Latinitate luſtranda non ſolum perutile eſt, ſed maxime etiam neceſſarium. Quæ enim in Ciceronis & æqualium libris non exſtant; apud Plinium aliquem, aut Senecam, aut Columellam & ceteros inueſtiganda ſunt, vt, quantum fieri poteſt, Linguam integram habeamus, quæ vniuerſi propemodum eruditorum orbis hoc tempore vernacula eſt. Sed ſi vlla in re, in hac præſertim limitibus opus eſt, neque iis nimium anguſtis, ne mutilus ſermo relinquatur; neque latiffime prorogatis, vt caſtitas ſua ſermoni Latino conſeruetur. Iniuriſſimi ſunt in bonas litteras, qui Latinitatis terminos ex Indice metiuntur, quem MARIUS NIZOLIVS Theſauro ſuo vere aureo ſubiecit, vt proſcribant & exterminent, quidquid ibi notatum caſti-

castigatumque inueniunt. Non illud propositum Nizolio fuit, nec, qui Nizolii operam suppleuit editque, IACOBO CELLARIO, proauo nostro, vt ad barbaros deportanda censerent, quæ Ciceronis non essent: sed curæ fuit meritisimis viris Latini stili tum castitas, tum suauis & sibi constans elegantia. Vtramque quidem licet etiam ex riuis haurire, qui ex aureo illo sæculo in proximum, tempus permanarunt: tamen, quod nemo negabit, & puriores sunt Ciceronis fontes, & multo iucundiores. Nec vero illi magno-pere laudandi sunt, qui nimis extendunt Latinitatem, & eodem, censu æstimant omnia, siue Ciceronis sint & æqualium, siue Ammiani, Sidonii, Cassiodori & similibus. Non semper ingeniorum messis est, aut æqualis prouentus studiorum, sed vt agri, qui copiosissimos fructus gignunt, alio tempore minus ferunt, aut omni-

no cessant fructuosi esse: ita doctrinæ & artium vbertas sæculis & temporibus distinguenda est. Quidquid præclari & magni fuit in Latinitate, effloruit Ciceronis & Augusti Cæsaris temporibus: nec tamen sterile fuit æuum proximum, aut iners & effectum torpuit, vt nulla ingenia proferret, quæ M. Tullium & eius similes æmularentur: sed vltra Neruæ Traiani ætatem Italia habuit, & quædam prouinciæ, qui cum veteribus ingenio, doctrina, & industria comparari potuerint. Post hæc tempora aliud fatum Latinitatis fuit, euulgato imperii arcano, posse Principem ex prouincialibus legi. Tum enim Hispanos, Gallos, Afros, Thraces, Arabes, Pannonios, quisque Princeps suos populares, Romam & in aulam adduxit, & honoribus ornauit amplissimis. Horum conuersatione factum est, vt Latinus sermo natia sua indole decederet,

&

& studia humanitatis, quod peregrini præriperent præmia, negligentius excolerentur. Verum, nec illis temporibus defuerunt plane, qui bonas litteras iuuarent, & barbariei, iam adrepenti, bonis artibus, cura, labore & lucubrationibus resisterent, & Latinitatis indolem, licet non integram, tamen non fæde contaminatam ad postereros propagarent. Tandem cum Gothi aliique barbari in Romanum imperium se effuderunt, non iam sensim & pedetentim, sed citato gradu a sermonis virtute descitum fuit, ut parum abesset, quin omnis Latinitas exspiraret. Ægre enim a paucis seruata fuit, nec tamen pura, sed deflorata, & multis vitiis sordibusque commaculata, post multa demum sæcula, quod auctorum memoria factum est, nitore suo restituenda. Sed ad id, unde digressi sumus, redeundum est. Sermonis Latini vitia & morbos, post variorum cu-

ras & labores, denuo cognoscere, & medicinam etiam, si fieri possit, adferre singulis, nobis constitutum est. Quæ castigaturi sumus, in *Barbarismos*, *Solæcismos*, & *Idiotismos* distingui possunt. Fabius Quintilianus : Institut. Orat. cap. v *Barbarismum finit vitium, quod sit in singulis verbis* : *Solæcismum, qui contextu vel complexu orationis accidat*. Vtrumque ibi exemplis illustrat, & in plura genera vtrumque etiam diuidit. Sed alii, quibus plus otii est, horum differentiam accuratius excutiant : nos vitia sermonis, quæ vere talia sunt, siue in singulis vocibus, siue in connexis fiant, *Barbarismos* appellamus, hoc est, dicendi genera, quæ a barbaris seu non Latinis populis in Latium inducta sunt. His *Idiotismos* adiungimus, quod scio multos miraturos esse, qui hoc nomen Linguarum natiuis elegantiss & proprietatibus vindicandum putant. Non nego, quod

quod volunt, multorum suffragiis probari posse: sed & aliam notionem, & meliorem forsan, & antiquiorem, huius verbi esse, vt negem, nunquam me adducent. Seneca Præf. vii Controuers. (qui vulgo iii liber) Idiotismum quidem inter Oratorias virtutes refert, sed simul *vitio vicinam virtutem* vocat. Sit autem virtus Oratorius Idiotismus, sit prudentiæ temperamentum: tamen ex vocis origine etiam aliter licebit interpretari. *ιδιωται* & *privati* sunt, & *illiterati*. Vtrum sensum malueris, nostro vocabulo sua significatio constabit. Privata vnius & alterius consuetudo dicendi, quæ a consensu & usu eruditorum discedit, vere Idiotismus est, & res *ιδιωτική*, *privata*, seu ad vnum & alterum pertinens, non ad publicam rem litterariam. Et talia permulta in elegantissimis scriptoribus observantur, quorum infra peculiarem Classem constituemus. Habet

Sallustius sua *Idia*, habet Vitruvius,
 Solinus, Tacitus, quæ apud alios
 non inueneris. Asinius etiam Pol-
 lio auctore Fabio lib. 1 Instit. Orat.
 cap. v. *deprehendit in Livi* Patavi-
 nitatem, quod quidam de idiotismis
 patriam redolentibus explicare so-
 lent, quibus egregie, ut omnia so-
 let, vir clarissimus respondit Da-
 niel-Georgius Morhofus. Quod
 si *ineruditum idiomus* significat, non
 illepide Idiotismum dicimus *ple-*
beiam dicendi rationem & a *vulga*
petitam, quæ plerumque aliquid
 sordidum & vitiosum habet, quod
 mereatur a censoribus sermonis
 notari atque corrigi. Hæc suffi-
 ciant de nomine, si addidero viri
 summi testimonium, IO: GEOR-
 GII GRAEVII. Cum is aliquando
 in libellum, quem de his ipsis vi-
 tiis confeceram, Antibarbari titu-
 lo vulgatum, incidisset, pro insigni
 voluntate & beneuolentia scripsit:
Vidi hic diatriben tuam de idiotismis
et barbarismis, mihi valde proba-
tam

am, &c. Tanti viri auctoritas, si vera dicenda sunt, in causa mihi fuit, ut, quæ secundis curis lucubraueram, *De Barbarismis & Idiotismis* appellarem.

Nunc de *medicina* aliquid præfari non alienum erit, quæ duplex est, *Analogia & Auctoritas*. Analogia multi abutuntur ad quidvis non latine fingendi licentiam. Quid, inquiunt, piaculi admiserit, qui nova verba inuenerit, propter inopiam veterum; aut cui melius aliquid & efficacius reperire licuit, quam quod veteres olim excogitarunt, modo analogiæ ratio custodiatur? Sed pace illorum, qui ita sentiunt, mihi liceat dissentire. Bone enim Deus! quam Latinitatem haberemus, si analogia sufficeret fingendis & formandis novis vocabulis? quilibet, qui ingenio non obtuso esset, aliquid adderet, quod sibi videretur conforme & analogum, atque ita breui in aliam formam ac plane nouam conuertere.

teretur lingua. At paupertatem Latinæ Linguæ obiciunt. An vero quidquam fuit, cui explicando non satis esset os Tullii, Liuii, Varronis, Plinii? Non pauperes, sed oppido diuites verborum erimus, si hos eloquentissimos viros imitabimur, & illorum verbis animi nostri sensum proponemus. Exemplo rem declarabo. Germanica nostra Lingua satis ampla, diues & copiosa est: tamen sæpe vsu venit, vt Græcum, Latinum, aut Gallicum vocabulum vno verbo nostræ linguæ non possimus apte & accurate vertere, sed multis opus sit circumlocutionibus. Num vero propterea pauper est lingua vernacula? Si quis noua verba formaret, quoties nostra Gallicis aut Latinis non respondent; quem finem habitura esset effrenis licentia? quis ferret nouatorum audaciam? Quare nihil analogiæ tribuimus, si auctori-

tas absit, quod de serio & casto stilo intelligi volumus; non de vulgari, nec philosophico, ubi licitum est *εὐμαρτομένην*. Ita vtraque medicina comparata est, ut neutra sine altera prodesse possit, aut sanam saluamque latinitatem praestare. Plus quidem valet auctoritas, quam nuda analogia: at ne tunc quidem suspicio abest, aliquid incuria describentium corruptum esse. Verbi gratia, vox *Impresentiarum* affatim auctoritatis habet in Catone, Fannio, Nepote, Tacito & ceteris. Quod vero analogia reclamationat, nec similis vox in tota lingua inuenitur; non immerito de bonitate eius eruditi dubitarunt. Contra *Extraordinarie* praesidio analogiae munitum est, quod ab Adiectiuus in E sunt Aduerbia, sicut a Doctus *Docte*; nec tamen in ciuitatem illud recipitur ab iis, qui purioris stili vel mediocriter studiosi sunt. Maluerunt Latini diuise dicere *eximie*

ordinem; quam vocem ab auribus abhorrentem tolerare, quanquam analogia certissima erat. Cum ergo tantum possit *auctoritas*, nec tamen singulorum temporum sit eadem & æqualis; operæ pretium erit, *Auctores* Latinæ Linguæ in classes & ordines diuidere, vt appareat, quantum cuique in probanda Latinitatetribuendum sit. Duo omnino modi sunt, quibus docti viri sermonis Latini incrementa & diminutiones significant, quorum alter a fabulis poetarum, quibus rerum humanarum diuersa tempora notant, petitus, inter Aureum, Argenteum, Æneum, Ferreum, sæcula distinguit: alter ab ætate humana desumptus, Latinitatem in Pueritiam, Adolescentiam, Virile robur, Senectutem, eamque tum vegetam, tum inertem, distribuit. Prior ratio diuidendi cum vsitatior sit, & facilioretiā; in præsentia nobis observabitur.

Antequam *Aureum* Latinitatis
 sæculum ingrediamur, prænotandi
 sunt, qui clari nominis scriptores
 illud antecesserint. Paucorum li-
 bri supersunt; plurimorum non
 nisi rudera & fragmenta posside-
 mus. Scripserunt *Ennius*, *Accius*,
Lucilius, *Pacuvius*, *Navius*, *Cæcilius*,
 aliique poetæ, quorum fractas ta-
 bulas, ex Cicerone, Varrone, Gel-
 lio, Macrobio, Festo, Nonio, Pri-
 sciano aliisque Grammaticis col-
 legit Rob. Stephanus, easque in
 ordinem digessit & euulgavit filius
 Henricus. Horum sæculum *semi-*
barbarum dixit Bochartus Epist.
 de *Æneæ* in Italiam aduentu p. 56.
 alii & ipsos aureo ævo inserunt.
 Medium mihi tutissimum videtur,
 nec semibarbaros illos dixisse, nec
 aureæ ætatis participes, quod etsi
 aurum sæpe ex scriptis illorum,
 legerunt posteri, non tamen totum
 aureum est, vnde aurum eruitur.
 Quo propius alii a Ciceronis tem-
 poribus abfuerunt, eo censentur
 melio-

meliores. Notissimi poetæ sunt, quorum maiora opera superant; **PLAUTVS** leporis & facetiarum magister elegantissimus: & **TERTIVS**, puriori stilo cum primis seruiens: & qui proximus Ciceroni fuit, **T. LVCRETIVS** auctor sex librorum de Rerum Natura. Natiuus in his lepos & aurea ætate vere dignus: Tamen & hi aliquid sæculi sui redolent, & archaismos pæne multos præ se ferunt, quos sequens ætas abrogauit. Etiam Comici vulgarem sermonem ad metrum cogentes, vbi interdum sunt propriis dicendi generibus, a quibus, qui sequebantur, sibi cupide temperarunt. Qui prorsa oratione scripserit antiquo illo æuo, vix vilius fœtum superstitem habemus, quam **CATONIS** de Re Rustica: *Originum* enim aliorumque scriptorum non nisi fragmenta apud Gellium priscosque grammaticos colliguntur. Argumentum *Originum* enarrat **Cornelius Nepos** in *Caton*, cap. III.

Post AVREA illa Ætas, quæ in
 calum Latinitatem extulit, felicis-
 simo fidere exorta est. Primas in
 ea fert, & quidem merito suo,
 M. TVLLIVS CICERO, de
 quo nihil addo, quam Fabii Quin-
 tiliani *lib. x cap. i* elogium: ILLE
 SE PROFECISSE SCIAT, CUI
 CICERO VALDE PLACEBIT.
 Equales fuerunt C. IVLIVS CAE-
 SAR, cuius Commentarios de Bel-
 lo Gallico & Ciuili habemus, ipsi
 Ciceroni valde probatos, *de Clar.*
Orat. cap. LXXV. CRISPVS SAL-
 LVSTIVS, scriptor Iugurthini &
 Catilinarii Belli, quem Velleius Pa-
 terculus *lib. ii cap. 36* vocat *amul-*
um Thucydidis. Quasdam *novas*
 eius dictiones examinat Seneca,
Epist. cxiv, vnde *nouatorem ver-*
borum Gellius vocat *i cap. 15*, quæ
 pauca si exceperis, Historicum ha-
 bes sæculo suo dignissimum: COR-
 NELIVS NEPOS, nihil elegantia
 Ciceroni cedens, atque pura orati-
 one ita suavis, vt latine loqui pæne
 solus

solus videatur: M. TERENTIUS
 VARRO, Romanorum doctis-
 simus, cuius de Latina Lingua (li-
 cet mutili) & Agricultura libri ad
 nostram ætatem peruenerunt.
 HIRTIUS quoque PANSA, siue,
 vt quibusdam videtur, C. OPPIUS,
 Cæsaris Commentarios continua-
 uit; & clarissimi viri, quorum epi-
 stolæ inter Ciceronianas seruan-
 tur, *Pompeius Magnus, Seruius Sub-
 picus, M. & D. Bruti, C. Cassius,
 Trebonius, Plancus, Calius*, alique,
 illaudati esse non possunt. Finem
 huius sæculi cum obitu Augusti
 facimus, vt LIVIUM quoque & VI-
 TRUVIUM complectatur, illum
 quidem principem Romanæ histo-
 riæ, flumine eloquentiæ insignem;
 hunc Architecturæ scriptorem ac-
 curatissimum, sed, quod ad Latini-
 tatem pertinet, suos idiotissimos ha-
 bentem. Eius enim sunt *Nullibi,
 Faciliter, Difficiliter*, de quibus in-
 fra dicemus. Item Plur. *Æres* i cap. i
Responsus, Subst. id est, harmonia
 con-

DE SÆCULO AVREO. 17
 conuenientia, cap. 2 *Magnificenter*
 cap. 6 *Commensus*, hoc est, συμμε-
 τεῖα III C. 1 *calefaciuntur* IV, 7
 V, 10 *Deformatio*, ein Abriß / IV, 8
Consonantissime VI, 1 *Offinator*, id
 est, faber, VI, 2 &c.

Etiam magnum prouentum
Poetarum hoc sæculum tulit, e
 quibus illos tantum nominamus,
 quorum carmina ad nostrum
 tempus transmissa sunt. Princeps
 suis meritis VIRGILIUS est: se-
 cundas tenet HORATIUS, vter-
 que laude maior. Eodem tempo-
 re floruerunt, CATVLLVS Ve-
 nonensis, paullo ante Virgilium;
 Albius TIBVLLVS, iisdem, qui-
 bus Ouidius, Consulibus, Pansa
 nimirum & Hirtio, natus: Sextus
 PROPERTIUS; & his æqualis,
 sed carminibus & fatis suis nobi-
 lior OVIDIUS. Paullo maiores,
 & Cæsari dictatori æquales D. LA-
 BERIUS & P. SYRVS, ex
 quorum *Mimis* fragmenta super-
 sunt, vt solæ *Dire* ex Carminibus
 VA-

18 PROLEGOMENA
 VALERII CATONIS, qui & ipse
 horum ætatem attigit. *Corneliæ
 Galli*, elegantissimi poetæ, quædam
 circumferuntur, sed dubiæ auctori-
 tatis, de quorum auctore genuino
 consulatur Vossius de Poet. Latæ
 p. 25 MANILIUS quoque, qui
Astronomicon scripsit, & a quibus-
 dam in ævum Theodosianum re-
 iicitur, extremo Augusti tempore
 vixit, ut videtur Scaligero, Vossio
 aliisque. *Legenti enim Manilium*
(sunt Vossii verba Poet. Lat. p. 36) ite-
rum iterumque, omnia Augusti tempo-
ribus videntur convenire. Non minor
 fuit GRATIVS, auctor Cynegeti-
 ci, ab Ovidio laudatus ultima Pon-
 ticorum Elegia: & PEDO ALBI-
 NOVANVS, ad quem Ovidii ele-
 gia x eiusdem libri exstat. Huius
 credunt quidem esse Elegiam in
 mortem Drusi ad Liuiam: cer-
 tior res est de Elegia in obitum
 Mæcenatis. Tandem CAESA-
 REM GERMANICVM ad-
 numeramus, & hunc etiam Ovi-
 dio

DE SÆCULO ARGENTEO. 19
dio notum, licet Tiberio imperan-
te, quam Augusto viuo, clarior
exstiterit. Poetam fuisse insignis
ingenii & doctrinæ, argumento
sunt *Aratea*, quæ, Ciceronem imi-
tatus, e Græco in Latinum transtu-
lit. Ianus Rutgerfius tamen Var.
Lect. 11 9 *Aratea* illa *Domitiano*
argumentis non contemnendis
vindictum iuit, quem consulas, si
placet. Hactenus de iis, qui a
Syllano tempore adusque Octa-
uiani Augusti obitum, implerunt
orbem terrarum nominis sui inge-
niique gloria. Hinc est, quod Au-
rea illa ætas etiam Sæculum *Augu-
stæum* appelletur.

ARGENTÆVM Latinitatis
Æuum ab Augusti excessu ad tem-
pora Antonini Pii extendimus. Ma-
gna & hoc tulit ingenia, quæ stu-
dio & industria se posteritati com-
mendarunt. Proximus Augusti
temporibus CORNELIVS CEL-
SVS fuit, Medicinæ scriptor elegan-
tissimus, a Columella 1 cap. 1, &
Quin-

Quintiliano XII cap. ult. laudatus, quem ipsi aureo sæculo non nulli inferunt. Clarissimus editor huius Celsi IO. ANTONIDES VAN DER LINDEN in præfatione ad Parisiensem Medicum Guidonem Patinum, *centum & viginti præter propter annis* ante Plinium Maiorem fuisse existimat. Quod si est, non potest non Celsus incidisse in tempora Cæsaris dictatoris, saltem in initia imperii Augustei. Quanquam verostilus Celsi ita floridus est, ut Aurea ætate non indignus videatur: tamen malumus in Argentea collocare, quia Columella cap. I scribit: *Non minorem laudem meruerunt* NOSTRORVM *temporum viri, Cornelius Celsus, & Iulius Atticus.* Eisdem Tiberii temporibus accensetur alius medicus, SCRIBONIVS LARGVS, sed stili nitore cum Celso haud comparandus. Sequuntur eodem Tiberio imperante eruditissimi scriptores magno numero, VELLEIVS PATERCVLVVS, qui

Roma,

Romanam historiam ad sua tempora persecutus est grandiore stilo, qualis fere oratorum solet esse: VALERIUS MAXIMUS, exempla virtutum & vitiorum enarrans; qui licet aliquando moliri grauius, quam felicius exhibere videatur figuras sententiasque: abunde tamen eloquentiam suam prudentiamque æquis iudicibus approbare potest, inter quos cum primis acutissimus Bœclerus est, cuius hæc verba fuerunt Comment. ad Velleii lib. II cap. CXI. POMPONIVS MELA, geographus, quem integritati suæ viri clarissimi Isaacus Vossius & Iac. Gronovius restituerunt: MARCVS SENECA, Controuersiarum & Suasionum auctor, qui Ciceronem vidisse per ætatem poterat, vt ipse Proëm. i Controuers. testatur. *Nec Ciceronem quidem, inquit, atas mihi eripuerat, sed bellorum ciuiliū furor, qui tunc totum orbem peruagabatur, intra coloniam meam me continuit: &* alter LVCIVS SENECA, Marci, vt

pu-

putatur, filius, philosophus, vitiorum insectator acerrimus, quod ex Epistolis ad Lucilium notissimum est. Huius quoque iuventam in Tiberii Cæsaris principatum incidisse, ipse auctor est Epist. CVIII. Maxime vero sub Claudio & Nerone clarus fuit: ut etiam L. Iunius Moderatus COLVME^{LLA}, diligentissimus rei rusticanæ scriptor, de quo Olaus Borrichius, vir clarissimus, præclare sentit in Voss. p. 240. *omnia in illo* (Columellam putat) *casta, pura, elegantia*. Dignus itaque, qui denuo in lucem producat, cum nimis longo tempore, in hoc vulgando cessarint operæ typographicæ. ASCONIVS quoque PEDIANVS, cuius commentarios quosdam in Orationes Ciceronianas, luculentissime scriptos habemus, Neronis tempore & Vespasiani vixit: etiam PLINIVS Maior, discretissimus auctor Historiæ Naturalis: nec non FABIVS QVINTILIA-

LIANVS, artis Rhetoricæ magister optimus, & præceptor Plinii iunioris, ipso teste 11 Epist. xiv Q. CVR-
 TII ætas in dubium vocatur. Ipse principem suum laudat lib. x cap. ix quem alii Octavianum Augustum : Claudium alii : itidem Traianum intelligunt. Stilus sane Augusteo ævo non inferior est : tamen illustri Vossio adsentimur, qui de Histor. Lat. lib. i argumentis probavit, Vespasiani principatum a Curtio laudatum esse. IV-
 LIVS FRONTINVS Domitiani, Neræ & Traiani temporibus clarus, exempla militaris virtutis, vt Valerius ciuilis, collegit, qui *Strategemata* vocat. Scripsit etiam de *Aqueductibus*, & *Coloniis*. Stilus ubique non æqualis est, vt quidam inter iuuentutis & maturioris ætatis operam in Frontinianis distinguant.

Nunc melior ætas Traiani maiorem quoque prouentum studiorum fert. PLINIVS enim Epistolis

lis & Panegyrico: TACITVS Historia & Annalibus, eam gloriam consecuti sunt, vt ille inter summos Oratores, hic inter principes Historicos, merito suo referantur. Etiam SVETONIVS TRANQVILLVS horum temporum fuit, vt ex multis epistolis Plinii obseruamus I, 24 X, 95 & aliis. Nec multum inferior L. Annæus FLORVS, qui Epitomen Rom. Historiæ, ex Liuiο potissimum, confecit, non autem ex eo solo, quia Vossius obseruat, crebro ipsum a Liuiο recedere. Hunc enim sub Hadriano, non sub Traiano, clariorem exstitisse, summus vir, Thomas Reinesius, exinde iudicabat, quod eius plurima sub Hadriano imperatore mentio, sub Traiano nulla sit. Stilus huius plane poeticus est, & hominis in poetica non infeliciter versati. Hinc magnus Salmasius ad Spartiani Hadrianum cap. XVI, vbi *Flori poeta* fit mentio, contendit,

dit, illum *poetam* esse ipsum Breuiar-
 ii Histoici auctorem, quod cum
 stilo apprime conuenit. Non fa-
 cile dixerim, idemne Florus, ut
 multi putant, an alius sit, qui sin-
 gulorum fere Liuii librorum argu-
 menta reliquit, quæ hodieque ex-
 stant: etiam librorum, qui depe-
 rierunt. Stilus sane diuersus est
 a Flori stilo poetico. Porro Tra-
 iani temporibus, vel Hadriani
 potius, APICIUS Cælius de Arte
 Coquinaria x libros scripsit, in quo
 multa noua sunt & ceteris scripto-
 ribus inusitata, sed forsân artis vo-
 cabula, a coquis illius æui mutuata.
 Succedunt tandem, quos ambigas
 Argenteæ ætati extremæ, an initio
 Æneæ, adnumerari oporteat. Pri-
 mus est PALLADIUS Ruti-
 lius Taurus, qui rusticam rem
 scripsit, Columellam sæpe imita-
 tus. Stilus concinnus est & ele-
 gans, ut Traiani æuo deberi cre-
 das, quanquam sub Hadriano vi-
 xisse contendit Lud. Viues. Sunt

B

vero

vero in illo, quæ æuum inferius prodiderint, vt *summitas* lib i cap. 6 *congruus* cap. 12 *recenter* cap. 26 *tribus vicibus*, cap. 28 *possibilitas* III, 14 *adunare* IV, 9 *fossatum* X, 13 *posterare* XII, 4 *aliquantos dies* XIII, 5 & non nulla alia; quæ sane inferiori potius, quam argenteo æuo, imputanda sunt. A. GELLIVS doctissime Noctes Atticas lucubrauit. Etiam huius quædam ad Æreæ ætatis genium reiecimus; quia dubium est, an vere ad Argenteam pertineat. Vossius quidem sub Hadriano collocat *de Hist. Lat. in Fenestella*; at ipse Hadrianum *Dium* vocat, id est, post fata, consecratum, III cap. 16 XIII, 20 & omnium clarissime XI, 15 ait. *Diui Hadriani temporibus*. Ergo posteriorem fuisse & scripsisse oportet. Non tamen longo posterior fuit, quia Gellio Fauorinus Philosophus familiaris erat, III, 1 at hic sub Hadriano floruit, vt, testatur in eius Vita Spartianus cap. 15

IVSTI-

IVSTINVM tandem, qui ex Trogi Pompeii historia compendium fecit, his quoque adscribimus, licet ultra terminos Argenteæ ætatis, sub Antonino Pio, vixisse feratur. Stilus enim non incomtus est, & forsan multa ex Trogo, Aurei ævi scriptore, retinuit integra, quanquam etiam admiscuit, quæ non sunt probatissima.

Quid vero de PETRONIO ARBITRO dicemus? vulgo Domitii Neronis temporibus eius *Satyricon* imputatur, quod male ferunt Valesii, fratres doctissimi, quorum alter ad Gallieni principatum reiicit; alter, Hadrianus Valesius, multis verbis in Dissertatione ad Cl. Wagenseilium probat, Neronis principatum similes Arbitri scriptores non habuisse, nec illum comparandum esse cum Seneca, Quintiliano, ambo-
bus Pliniis, ne cum Tacito quidem aut Suetonio. Quando igitur Petronius Arbitrator floruit?

Respondet laudatus Hadrian. Valesius: *Equidem existimo eum potius circa Antoninorum principatum vixisse, quam (ut frater meus arbitratur) Gallieni Augusti equalem fuisse: quod elegantia Petronii in aetatem Gallieni, hoc est, in senectutem imperii Rom. ac velut in fecem linguae Latinae, tot undique gentium barbararum incurfionibus corruptae atque deprauatae, cadere mihi non videtur.* Post adfert multa in Satyrico obseruata, quae indigna videantur Neroniano saeculo. Ne itaque nimis dissentiamus a ceteris, in hoc ultimo Argenteae aetatis loco collocamus, ut cuique integrum sit vel reuocare ad superiores, vel ad sequiorem aetatem abiicere.

Poëta huius saeculi, quorum carmina ad nos peruenerunt, fere hi sunt. PHAEDRVS, Augusti libertus, Tiberio rempubl. administrante, Seiani odio, fortuna aduersa conflictatus, scripsit politissimas *Fabulas* tum vltioni sui,
tum

DE SÆCULO ARGENTEO. 29
 tum etiam solatio, quod vtrumque
 ex præmio lib. III apparet.
 Schoppij iudicium, qui Infam.
 p. 69 in Phædro nescio quid bar-
 bari subodoratur, non magis se-
 doctis probavit, quam illius, qui,
 vt supra diximus, in Liuiio depre-
 hendit Patauinitatem. Principem
 ergo locum in hoc sæculo & pro-
 ximum poetis Augusteis, non tan-
 tum temporis ratione, quo vixit;
 sed etiam stili ornata, quem Fa-
 bulis expresit, iure ipsi merito-
 que adsignamus. **SENECÆ**
Tragædia VIII supersunt, quas di-
 uersis auctoribus eruditiores di-
 stribuunt. Non tamen dubium
 est, vt etiam Vossius censet, quin
 in illis quædam sint genuini fos-
 tus Senecæ. Stilum tragice gran-
 dem & illustrem præ se ferunt, vt
 non opus sit, cum Lipsio in Animad-
 uersionibus, *Seneca nouiori*, vt lo-
 quitur, has Tragædias vindicare,
 qui Traiani imperio, aut infra
 etiam vixerit. **A. PERSIVS**
B 3 **Flac-**

Flaccus, Satyricus elegantissimus, vita excessit Nerone imperante. Æqualis fere fuit M. Annæus LV. CANVS, poeta ardens & concitatus, & sententiis clarissimus, & ut dicam, quod Fabius x cap. i sentit, magis oratoribus, quam poetis, adnumerandus. Nihil enim fabulis inuoluit, ut fere poetæ solent; sed Ciuile Bellum ad fidem historię perscribit, ut tamen suauitatem poeticam, & heroicam maiestatem æqualiter seruet. Nec inferior VALERIVS FLACCVS, qui Carmina *Argonautica* posteritati transmisit, & ipse eloquens & ornatus, ut Quintiliano x c. i iudice, *multum in Valerio Flacco amiserimus*, quod morte præuentus cœptam telam non pertexuit. Et ne quid desit meritæ laudi poetæ optimi, nob. Barthii verba ex *Aduersariis* LVI c. XI adiicimus: *Valerio Flacco, spiritu, grauitate, numeris & orationis æqualitate, nemo post Augusti principatum scriptor*

pri-

prior exstat. Vixit & clarus fuit, cum res Romanæ penes Flavios essent. Proximus est SILIVS ITALICVS, Virgilii imitator religiosissimus, Belli Punici, quod contra Romanos Hannibal gessit, grauis & copiosus scriptor, in cuius laude Plinius versatur lib. III epist. VII. Eadem tempestate PAPINII STATII nomen cœpit illustre fieri, qui amœnissimos *Silvarum* libros, etiam *Thebaidos*, & *Achilleidos* condidit imperante Domitiano. IV VENALIS quoque, *Satyrarum* scriptor acerrimus, eiusdem ætatis fuit, qui quanquam minus facetiarum habet; quam Horatius; (omne enim iocandi genus tristissima tempora eripuerant) tamen alia habet, quæ illi præstantiam suam adstruunt. Nam in eo candor ingenuus, vt Cunnus censet, argutiae frequentes, vehemens acrimonia. In melius sæculum Traiani incidit Valerius MARTIALIS,

Epigrammatum auctor ingenio-
 sistimus, (vtinam etiam vbique ca-
 stus) cuius laudes & obitum scri-
 psit Plinius III Epist. vlt. TEREN-
 TIANVS MAVRVS quoque hac
 ætate fuit, qui carmen de Arte me-
 trica composuit, quod superest.
 Sed ne quis sexus a laude bona-
 rum artium cessaret, ecce & femi-
 narum ingenium. SVLPICIA
 poetria acutissimo carmine, eoque
 Satyrico, Domitianum perstrinxit,
 cum edicto philosophos Vrbe &
 Italia exegisset. Nihil addo huic
 sæculo, quam quod *Columella* &
Palladius Rutilius, agriculturæ scri-
 ptores, quos supra laudauimus,
 Poeticen quoque attigerint, ille
 quidem Carmine edito de Cultu
 Hortorum ad P. Siluinum; hic ad
 Pasiphilum de Arborum Insitione.

Ab Antonino ad Honorium &
 captam a barbaris Romam, longis-
 sime se porrigit *Tertia Ætas* Latini
 Sermonis, quæ AEREA appellatur.
 Neglectis enim studiis, & barbaro-
 rum

rum moribus assumtis, ipsa defecta est Latinitas, & gratiam tandem poene omnem exuit. Primipilum ducit APVLEIVS Afer Madaurensis, Platonicus philosophus, non inepti ingenii: sed nouitatis, si quis alius, in fingendis vocabulis & reuocandis obsoletis, studiosissimus. Vixit temporibus Antonini Pii, Diuorumque fratrum, vt ex verbis, quæ ipse dixit in *Apolo-
gia, ante has imperatoris Pii statuas*, colligitur. Certe ante Seuerum Augustum fuisse, patet ex illius epistola ad Senatum Rom. apud Capitolinum Vita Albini eap. 12 vbi *Milesias Punicas Apuleii* memorat contemtim. Quem vero huic proximum damus? Arescunt artes post Marci Philosophi obitum, & Latina fere neglecta iacent. Tamen Iulius HYGIVS, auctor Mythologiæ & Astronomicæ Poeticorum, quem alii, vt libertum Augustalem, Aurei æui germen credunt, a Cl. Scheffero circiter

ætate Antoninorum floruisse traditur, sed ita floruisse, vt in censum magnorum ingeniorum venisse minime videatur. Schoppius *Infam.* p. 39. vocat *plebeium scriptorem*. Habet enim veros idiotismos, quorum aliquot examinat doctissimus Munckerus in *Dissertatione* Notis in Hygin. præfixa. Eodem sæculo Iureconsulti claruerunt POMPONIVS, PAVLLVS, VLPIANVS, PAPINIANVS, MODESTINVS, & alii, quorum Latinitatem non erubescendam Romani iuris Digesta custodiunt. Iulius SOLINVS, auctor *Polybistoris*, quem ex variis, sed Plinii inprimis *Historia*, decerpfit, etiam hac ætate, vt cum Salmasio Vossius putat, se ad scribendum applicauit. Sane si ex stilo iudicium fieri debet (sunt Vossii verba) *sesquiseculo, & amplius, post Plinium vixisse dixerim*. Et huic quoque sui sunt idiotismi. Vnus sufficiat argumento. cap. XL *Multi, inquit, captiuorum aliquot leonibus*

*obuiis intacti repatriauerunt: & cap. XLVI extremo. Hoc Arabia fateſt: hinc ad Peluſium repatriemus. Non facile oftenderis auctorem vel mediocriter antiquum, qui repatriare dixerit pro domum redire. Sed neque Eccleſiaſtici prætermittendi ſunt, TERTVLLIANVS, Afer, pingue quiddam & peregrinum ſonans; & MINVCIVS FELIX, ornatiore ſtilo inſtructus. Vterque Seueri & Caracallæ temporibus contra Paganifmum pugnavit, ille quidem poſt multos labores, libro *Apologetico*; hic *Dialogo*, quem *Oſtauium* inſcripſit. Ad hos accedit CYPRIANVS, tempore Philippi Arabis, inſignis Eccleſiæ doctor. Ad ſæculares reuertimur. Cum Gordiani imperarent, CENSORINVS libellum multiplicis doctrinæ *De Die Natali* edidit: & Tacito Imperatori MODESTVS dedicauit, quæ breuiter commentatus erat de *Vocabulis Rei Miſitariæ*. Circa Diocletiani tempora*

Augustam Historiam persecuti sunt Ælius SPARTIANVS, VVL-CATIVS GALLICANVS, Iulius CAPITOLINVS, Ælius LAMPRIDIVS, Flavius VOPISCVS, & Constantino rempublicam administrante, TREBELLIVS POLLIO, quos sex scriptores vno fasciculo coniunctos Casaubonus & Salmasius ediderunt, quorum vestigia Belgæ aliquoties secuti sunt. Iterum Ecclesia habuit, quorum lætaretur ingeniis, ARNOBIVM Afrum, eiusque discipulum, quem Christianorum Tullium haud immerito dixeris, LACTANTIVM Firmianum, paganæ religionis oppugnatores felicissimos: his Iulius FIRMICVS succenturiatur, qui ad Constantium & Constantem Augustos *De errore Profanæ Religionis* scripsit. An vero idem ille sit Firmicus, cuius libros Astrologicos habemus, ex Manilio, ut videtur, expressos, non magnopere dubito, quia nomen & ætas

conueniunt; nec tamen certissime adfirmo. In hæc tempora incidit AVRELIVS VICTOR, qui geminus est. Is, cuius Historiam Augustam Andreas Schottus in lucem primus produxit, (vnde etiam *Victor Schotti sæpe* vocatur) ætate Constantii & Iuliani imperatorum vixit: cuius etiam est, doctorum iudicio, liber *de Viris illustribus*, falso a multis Corn. Nepoti, vel Plinio, vel Suetonio tributus. Alter Aurelius Victor (vel *Victorius* aut *Victorinus*) eandem historiam *de vita & Moribus Imperatorum Rom.* usque ad Theodosii excessum perduxit, quam vt a superiore distinguant, Belgæ, & doctissima Anna, Tanaquilli filia, qui cum Notis ediderunt, vocant *Epitomam Victoris*. Sed reuertendum ad ætatem Constantini, qua cum vero Dei cultu etiam liberalia studia clarius, quam ante hoc tempus, eluxerunt. Panegyristæ in primis ingenium ostentarunt præter anony-

nimos

nymos MAMERTINVS, NAZARIVS, EVMENIVS, & tempore Theodofii LATINVS PACATIVS, cuius sermonem Barthius ad Claudian. p. 555. *Pliniano non inferiore*: & Panegyricum eius, *Orationem omnium huius aui scriptorum numerosissimam, cultissimam, eloquentissimam, ingeniosissimam* vocat. EVTROPIVS etiam, & SEXTVS RVFVS, seu vt alii vocant, RVFVS FESTVS huius ætatis sunt, qui Breuiaria Romanæ Historiæ fecerunt, vterque Valenti, Rom. imperatori, fratri Valentiniani, secus ac vulgaribus Rufi libris præscriptum est; vt ex cap. vlt. apparet, & a nobis alibi probatum fuit. Stilus vtriusque concisus pro ratione breuiarii, nec tamen non latinus, vt quidam limis oculis intuentes iudicarunt, cum vix in vtroque inuenias quidquam, quod non in scriptoribus temporum Hadriani & proximorum possit idem

ostendi. AMMIANVS MARCELLINVS vberior est & verbosior, sed vt *miles & Gracus* (sic seipsum extremo opere excusat) legem latinitatis non vbique seruauit. MACROBIVS Theodosiano æuo cum *Scipionis Somnium*, rum Conuiuales *Saturnalium* sermones, stilo pro ratione sæculi non inepto, explanauit : & VEGETIVS necessarios libros de *Re militari* composuit, dicauitque Valentiniano Augusto, non primo, sed alteri, quia lib. i cap. xx *Deum Gratianum* nominat. Christianum Vegetium fuisse, ex eo probari videtur, quia lib. ii cap. v militibus iurandum esse tradit *per Deum, & Christum, & Spiritum Sanctum*. Aurelius SYMMACHVS sub Theodosii & filiorum imperio clarissimus orator, Epistolas reliquit Laconico stilo exaratas. In hoc finimus scriptores Ethnicos seu Paganos, si addiderimus IVLIVM OBSEQUENTEM,

TEM, qui de *Prodigiis Romanorum* scripsit, nuper a Cl. Scheffero luci restitutum. Hunc enim gentilem fuisse, & ante Honorii tempora vixisse magnus Vossius existimat. Qui sequuntur, omnes CHRISTO deuoti sunt.

Temporibus Constantis Augusti HILARIVS Pictauiensis: Theodosii Magni, AMBROSIVS Mediolanensis Episcopus: Arcadii & Honorii, HIERONYMVS & mox AVGVSTINVS, eloquentissimi Patres, non tam voce, quam scripturis vtilissimam Ecclesiæ operam nauarunt. Pontius Meropius PAVLLINVS, clarissimi generis senator, Ausonii discipulus, Nolanus tandem episcopus, de industria a sæculari stilo, cuius non imperitus fuit, ad ecclesiasticum in *Epistolis* declinat; in carminibus elegantissimus. Paullus OROSIVS ad Augustinum scripsit vix libris Historiam sacram & ciuilem a condito orbe ad sua tempora, ex opti-

optimis quibusque Latii scriptoribus excerptam. S V L P I C I V S SEVERVS, cuius Historia Sacra, & Vita Martini, & Dialogi exstant, cum quibusvis sui sæculi scriptoribus de modesta verborum elegantia contendere potest. P E T R V S C H R Y S O L O G V S, Rauennensis episcopus, cui insignis eloquentia cognomen dedit, vt Chrysostomo. Scripsit breues *homilias*, in quibus pietas cum stilitate certat, vt difficulter iudices, vtrum sanctiores sint, an elegantioris Latinitatis. Sunt & alii Ecclesiæ scriptores non proletarii, quos recensere instituti non est, quia illos solos venamur, qui a censoribus Latinitatis triti versatique sunt: ceteros Theologis excutiendos relinquimus. Ad hoc etiam sæculum scriptores *Agraria rei*, præter Frontinum & Hyginum, pertinent, vt S I C V L V S F L A C C V S vel eius potius epitomator; A G G E N V S V R B I C V S aliique

ano.

anonymi, quos Christianos fuisse, eruditissimi viri sunt qui suspicentur.

Poëta huius *Ænei* sæculi, & quidem ineuntis, pauci supersunt, quod vel negligentius colerentur studia, vel fœtus illorum iniuria temporis, ut fieri solet, interciderint. Quos vero superstites habemus, eorum plurimos ævo christiano debemus, quo studia magis, quam alio tempore, reuixisse supra dictum fuit. De poetis horum temporum in vniuersum notandum est, eos plus vigotis ac indolis ex antiquitate hausisse, quam eiusdem sæculi historicos vel alios prorsæ orationis auctores. Non solum enim metri leges arcebant a vitiis sermoni adrepentibus; sed etiam imitatio, qua plus opus in carmine, quam soluta oratione esse vulgus existimat, ingenia ita firmavit, ut minus illa cum cadente Latinitate caderent. Nunc, qui supersunt, ordine recensemus. Hic quoque

que nomen suum ſcribi TERTULLIANVS poſtulat, propter aliquot libros metricos, quanquam Voſſio minus probatos, etiam dubitados, angenuinus fœtus Tertulliani ſint. SERENVŒ SAMONICVS eodem tempore, hoc eſt, ſub Seuero filio-que Caracalla floruit, Hiſtoricus forſan, quam poeta nobilior, vt ex ſuperſtite carmine *de Medicina* intelligimus. Macrobius Saturn. 11, 12 laudat *virum ſæculo ſuo doctum*. Carri Auguſti & Carini ætate M. Aurelius NEMESIANVS, Carthagenſis poeta, *Cynegeticon*; & T. CALPURNIVS Siculus *Eclogas Bucolicas* conſcripſit. Vtrumque Barthius cum Commentarijs vulgavit. Conſtantini Magni æuo non ſolum RHEMNIVS FANNIVS claruit, cuius *de Medicina & Ponderibus* poemata dicuntur: ſed etiam OPTATIANVS PORPHYRIVS, qui *Panegyricum* Conſtantino miſit, opus indiſtriæ, quam ingenii maioris, a Paul. Veſſero Auguſtæ Vindel-

delicorum in lucem emissum. Quæ
 lecunq̃ue est, meruit tamen eo au-
 ctor, vt ab exilio reuocaretur. IV-
 VENCVS Hispanus Euangeliorum
 historiam Hexametro carmine ex-
 pressit. Constantio Constantini
 filio imperante MARIVS VICTO-
 RINVS, S. Hieronými in Rhetori-
 cis præceptor, etiam poetice co-
 luit, cuius carmen sup̃erest de vi
 fratribus Maccabæis cum matre ab
 Antiocho Epiphane interemtis.
 AVSONIVS Burdigalensis proxi-
 mus est, magno ingenio, Gratiani
 Augusti præceptor, sed interdum
 improbe lasciuiens, vt dubitetur,
 an Christianus fuerit. Bellarmi-
 nus quidem de Scriptoribus Ec-
 clesiasticis, adfirmat: dissentit Vos-
 sius, & quæ carmina Christum ce-
 lebrant, ipsius sætum genuinum
 esse negat. Rufus FESTVS
 AVIENVS Arati *Astronomica*, &
 Dionysii Periegetæ *Geographica* La-
 tino carmine expresit Gratiani &
 Theodosii temporibus, cui succe-
 dunt

dunt sub Honorii imperio florentes, Aurelius PRUDENTIUS, Christianorum poetarum facile doctissimus : & CLAUDIANUS, paganus peruicacissimus, ut Orosius vocat VII, 35 tanti vero spiritus, ut ad veterum poetarum laudem perueniat : & RUFILIUS Claudius NUMATIANS, cuius habemus *Itinerarium*, carmine eleganter perscriptum, sed odium spirans religionis Iudaicæ ac Christianæ. PAVLLINUS Nolanus carmine vegetior, quam epistolis orationis prosæ. Poetria quoque hoc tempore clarissima fuit Proba FALCONIA, vxor viri proconsularis, quæ Christi vitam conscripsit centone Virgiliano, nunc Bibliothecæ Patrum insertam, licet alii de auctore carminis dubitent. Tandem addendus est Cælius SEDVLIVS, qui sub Theodosio iuniore carmine Hexametro quinque libros Poematum sacrorum edidit : & DRACONTIVS scriptor Hexæmeri:

meri: ac PAVLLINVS PETRICO-
RIVS, laudator S. Martini, a claris-
simo viro Chr. Daumio cum Bar-
thianis commentariis in lucem
emissus.

* Dubiæ ætatis, at certe Ænei sæ-
culi, est MACER, auctor carminis
de Viribus Herbarum. Ex stilo patet,
non esse illum Macrum, quem Ovi-
dius de Ponto i v extremo laudat,
nec ad quem Plinii Secundi ali-
quot epistolæ exstant. Vid. Bar-
thius xvii Aduersar. ineunte, &
Riuius Præfat. ad Scriptor. Rei
Herbariæ.

Non iam vergebat in casum sed
ruebat Latinitas, cum post Hono-
rii & Valentiniani iii tempora
barbarorum res in Italia & Prouin-
ciis Rom. inualescerent. Super-
erant tamen aliquot magna inge-
nia, variis artibus & scientiis in-
nutrita, nisi quod stilus ipsorum
indies magis magisque, a tot ir-
ruentibus barbaris labefactatus, ti-
tubaret & concideret. Horum æta-
tem

tem liceat FERREAM appellare, & quasi semibarbaram, quanquam scriptores quosdam tulerit nequaquam barbaros aut contemnendos. Antequam enim Odoacer Momylum Augustulum expugnaret, nominis fama & eruditione floruit SALVIANVS Massiliensis, PROSPER Aquitanicus, SIDONIVS Apollinaris, CLAVDIANVS MAMERTVS, Presbyter Viennensis, cuius libri *de Anima* supersunt: & Gothorum imperio confirmato, MARCELLINVS COMES, qui telam Chronici Eusebio-Hieronymiani pertexuit: BOETHIVS theologus & philosophus, CASSIODORVS polyhistor sui sæculi, & Theoderici Regis ab epistolis: ENNODIVS, Ticinensis episcopus, cuius Epistolæ exstant, & Panegyricus Theodorico regi dictus: & FVLGENTIVS Ruspensis episcopus, qui contra Arianos scripsit: & alius Fabius Planciades FVLGENTIVS, auctor *Mythologiarum*: & his æqualis,

lis, aut paullo maior, MARTIANVS
CAPELLA, non inelegantis inge-
nii, sed stili in prorsus ineptioris;
comtioris in versa oratione, qui
Nuptias Mercurii & Philologiae scri-
psit: Etiam poeta non contemnendi
ALCIMVS AVITVS, Episcopus Vi-
ennensis, epistolis & sacris poema-
tis clarus; ARATOR, qui Actus
Apostolicos heroico carmine ex-
pressit; & Venantius FORTVNATVS:
quibus accedunt supra lauda-
ti, *Prosper Aquitanicus*, & *Sidonius*
Apollinaris, longe carminibus, quam
soluta oratione, elegantiores. EV-
GENIVS episcopus Toletanus, qui
Dracontii opuscula emendauit sup-
pleuitque: etiam sui quædam inge-
nii reliquit. Et CORIPPVS, qui de
laudibus Iustini, augusti impera-
toris, quatuor libros hexametro
carmine composuit. Solutæ autem
orationis stilo post Longobardo-
rum irruptionem operam dederunt
GREGORIUS TVRONENSIS,
scriptor Historiæ Francicæ: ISIDO-
RVS

RVS Hispalensis, *Originum* librorum, & Chronici aliorumque conditor: item BEDA venerabilis, qui præter alia multa etiam quinque libros Historiæ Britannicæ conscripsit: atque IORNANDES qui tum de Rebus Geticis, tum de Successione Regnorum libros reliquit; PAVLLVS DIACONVS, Warnefredi F. Historiæ Langobardicæ auctor: & THEODVLPHVS Aurelianensis episcopus, vtroque orationis genere, maxime ligato, Caroli Magni temporibus, vt ferebat illa ætas, eruditus.

Sic Latinos scriptores ab Aurea ætate ad Caroli Magni tempora persecuti sumus. Ex his cuilibet manifestum erit, & quos quævis ætas tulerit scriptores, & quanta singulorum sit auctoritas. Non autem hoc quisquam ita intelligat, vt, qui ejusdem ætatis sunt, per omnia ejusdem dignitatis putet. Differunt vnus quoque temporis ingenia, studia, industria, & sæpe
C fit,

fit, vt posterior aliquis sermonis
 elegantia & castitate superiorem
 vincat. Non ad tempora sola in
 iudicandis auctoribus; sed ad in-
 dolem etiam, studium, exercitatio-
 nem respiciendum est. Nec bar-
 bara omnia, quæ post Caroli M.
 concepta & edita fuerunt ætatem.
 Etiam illis temporibus Ecclesia ha-
 buit, quorum ingeniis non erube-
 scendum erat, exempli causa RA-
 BANVM Moguntinensem; &
 SERVATVM LVPVM, qui prox-
 ime abfuerunt; FVLBERTVM &
 IVONEM Carnotenses episcopos,
 Guilielmum BRITONEM, poe-
 tam, aliosque horum æquales.

Nunc ad *Secundas nostras Curas*
 reuertimur, quarum duplex offici-
 um est, *absolvere* immerito damna-
 ta; & *damnare* indigne in ciuita-
 tem recepta. Illud præstabimus
 per ordinem sæculorum, vt appa-
 reat, quænam ex iis, quæ adhuc
 pro barbaris falso habita sunt, au-
 ctoritate Aurei, quænam Argentei,
 vel

DE SAECULO AENEIO. Si
vel Aenei saeculi defendi ac restitui
possint. Deinde ostendemus in-
dicia *vergentis* seu *inclinantis* ser-
monis, ex Scriptoribus Argentei
aevi, cum *Idiotismis*, seu singulari-
bus optimorum auctorum dicen-
di generibus. Postea *Cadentem*
Latinitatem enarrabimus, tolera-
bilem quidem, sed minime imitan-
dam, cum puriora & meliora su-
per sint, quibus stilus exerceri pos-
sit. Tandem *Semibarbara* subiun-
gemus, quibus Ecclesiastica quor-
dam addentur cum *Idiotismis*
Vulgati S. Scripturae Interpretis.
Barbara denique, quae nullam au-
thoritatem habent, saltim dubia
& incerta sunt, finem his *Curis Po-*
sterioribus imponent, cum aliquid
de *Poetarum figuris* in prosa fugien-
dis, & *Grecismis* durioribus adie-
ctum fuerit. Satis de Prolegome-
nis, si vnum addiderimus, Vete-
res quoque *Grammaticos*, praeter
memoratos, contulisse ad stili
integritatem; SERVIVM Ho-

52 PROLEGOMENA.

noratum, Macrobio æqualem,
& DONATVM, & NONI-
VM MARCELLVM, &
CHARISIVM, & DIOME-
DEM, & PRISCIANVM,
ceterosque, quos singulos
suo tempore dare diffi-
cile est.



CVRA



CVRARVM POSTERIORVM

CAPVT I

DE

*Latinitate Saculo Aureo
restituta.*

QUos limites habeat Aureum Latinitatis Sæculum, & quos tulerit egregios scriptores, supra diximus. Nemo de illius ætatis sermone dubitat: at Lexicorum sterilitate factum est, ut quædam Vocabula & loquendi genera, quod minus innotuerint, a litterarum censoribus eiicerentur ciuitate, quæ nuper singulatim variorum studio requisita, nunc, additis aliis, vniuersa suo loco atque ordini restituemus.

C 3

AB-

ABOMINOR suspectum multis fuit, quod in Ciceronis libris non superest. At Ovidius *Metam.* ix v. 676, ac *iii Pont. eleg.* i v. 105 *quod abominor: & Liuius vi, 40 quod abominaris: & xxx, 30 Quod igitur nos maxime abominaremur. Idem dixit lib. ix, 38 abominandam cariam: xl, 4 abominatus mentionem facinoris: & xxxi, 12 abominati semimares, passivæ. De Pliniis, Curtio, & aliis Argenteæ ætatis scriptoribus nihil attinet adferre.*

ADOLESCENTIARI minus probatur illustri Vossio: sed Varronis verba apud Nonium Marcellum sunt: *tu quoque adhuc adolescentiaris, hoc est, iuueniliter & petulanter agis.*

ALLEVAMENTVM. Pro hoc mavult idem Vossius *lenimentum*. At ipse Cicero pro Sulla c. 23 *coactus est, inquit, in aduersis sine ullo remedio atque allevamento permanere.*

CARDINALIS illustri Salma-
fio

fio Exerc. Plin. pag. 1249 verbum Latinitatis inferioris est, ex Seruio & Gregorio Magno vtcunque approbandum. At etiam Vitruuius i v, 6 *scapos cardinales* dixit, vt non dubitandum sit de antiquitate. Ad *ventos* demum applicuit Seruius in Æneid. i v. 131 ad *diaconos & presbyteros* Gregorius M. vt Salmasius notauit, quanquam antiquiorem notionem esse Petr. Ioseph. Cantelius in *Histor. Metropolit. urb.* contendat: ad *virtutes primarias* Ambrosius in Luc. vi & auctor commentarii (vulgo Hieronymus creditur) in Marcum cap. i v. 16.

CONFUGIUM pro *perfugio* damnauit itidem Vossius: absoluit Ouidius i v Trist. Eleg. v *portus aperire fideles Fulmine percussa, confugiumque, rati.* Et lib. v Eleg. vi *Qui mihi confugium, qui mihi portus eras.* Nec contemnendum est Statii suffragium, quod Ouidiano succenturiatur in Foro Romano, ex xii Theb. v. 504 *commune animantibus agris Confugium.* C 4 CON-

CONSILIARI semibarbaro Pauli Diaconi sæculo accensuit laudatus Vossius. Esse autem antiqui generis, Aug. Buchnerus additis ad Fabrum, edocuit ex Horatii de Arte Poet. v. 196 *consilietur amicis*, & 111 Oda 111 *Consilientibus Diis*: & Cæsaris 1 Ciu. 19. *consiliandi causse secreto colloqueretur*: & c. 73 *Hæc consilientibus eis*. Hæc ambigua testimonia vir clarissimus vocat Olaus Borrichius *Anal. Et. p. 27* propter librorum varietatem, etiam quæ ipse addit ex Cic. xv ad Att. epist. 1x & Tacit. 11 Histor. 53. Lectionis varietatem agnoscimus: nostra tamen non pœnitendæ auctoritatis est. Vetus enim scholiastes Horatii CONSILIE TVR reddit *consilium det*: & Cruquius testatur, *per S. litteram in omnibus scriptis legi*. Sic & Veneta antiqua de anno 1490 Idem vetus commentator ad alterum Odarum locum: CONSILIENTIBVS, *consilium habentibus diis de recipiendo Romulo*. De Cæsare, Mich.

Mich. Brutus testatur, in cod. Car-
 rariensi esse *consiliandi*, quod Ciac-
 conius quoque & Hotomannus fa-
 tentur in MSS. reperiri, licet alter
 (Hotomannus) pro glossmate ha-
 beat, quocunque modo legatur.
 Hanc scripturam etiam editio no-
 bilissima Goduini seruauit. Cice-
 ronis *ad consiliandum* tuentur Ma-
 nutius, Gruterus, Græuius, Grono-
 uius, viri sane accuratissimi; & in
 nostro libro Lambinus, quamuis
 vt contrarius nobis obiiciatur. Ta-
 citi *consiliaturi* probatur Pichenæ,
 Lipsio, Berneggero: Lipsius insuper
 addit: CONSILIATVRI, *non muto;*
 & Horatius eo verbo usus. (Th. Ry-
 ckius autem reiicit.) Aliquid etiam
 adferre possunt *consiliator* Phædri
 lib. II fab. VII, & Plinii IV epist.
 XVII, ac *consiliatrix* Apuleii lib. V
 Metamorph. Hi quidem postero-
 res: at Phædrus proximus ætati
 Latinitatis aureæ.

CONTEMPTVS, Substantiuum.
 Sunt quidam ita delicati, vt vocem

hanc fastidiant, tanquam minus Latinam, quia in Ciceroniano Thesaurus Nizolii non inuenerunt. Quod enim in vltima editione visitur, ex fragmentis Ciceronianis adscripta, id ex additamentis est Iacobi Cellarii, qui Nizolium auctiorem edidit. Fragmentum, quod seruauit Seneca de Tranquill. c. 11, hoc est: *Gladiatores, ait Cicero, inuisos habemus, si omni modo, vitam impetrare cupiunt: fauemus, si contemptum eius præ se ferunt. Plane vero adfentior Lipsio, qui Senecam non verba Ciceronis expresse, putat, sed sensum eorum, quæ habentur in Miloniana c. 34 vbi acriter se ipsos morti offerre dicit, quos Seneca ait, contemptum mortis præ se ferre. Sed esto, Ciceronem Contemptio, quam Contemptus maluisse: non definit tamen bonum & antiquum verbum Contemptus esse. Nam vsus eo est Cæsar 11 Gall. 30 Gallis præ magnitudine corporum suorum breuitas nostra contemptui est. Et Liuius sapius.*

Aureo RESTITUTA. 59
ſæpius. Lib. vi, 21 *id rati patres*
contemptu accidere. & lib. xxix, 1
contemptu imperatorum orto.

CONTRARIO pro *Contrarie*
Scioppius contra Vossium bene,
defendit ex Nepotis Eumene, vbi
sub initium est: *Apud illos contra-*
rio, nemo ad id officium admittitur:
atque ita etiam MS. Bœclerianum.
Addidit Borrichius, felicissimus
verborum indagator, Vitruuium
viii c. 1 extr. *Campestribus locis*
contrario non possunt haberi copia. An
vero etiam ex Cicer. de Vniuers.
probari possit, lis adhuc sub iudi-
ce est. Si a libris standum, nihil
heic Cicero prodest, quia omnes
contrarios habent: sin ingenio Cri-
ticorum aliquid concedendum,
Parei, Gifanii, Scioppii, Io. And.
Bosii; omnino videtur Ad-
uerbium præstare, quod Græca,
quæ Cicero expressit, Aduerbio
potius quam Adiectiuo consonant.
Ita autem Plato in Timæo f. 482
(ed. Basel, Gr.) *ἀντιπερὶ ἢ ἰσορῆς*
C 6

λύπη μειγνύμενοι ἔρωτα πρὸς τὴν
 τοῖς φόβον καὶ θυμὸν, ὅσα τε ἐπόμενα
 αὐτοῖς καὶ ὅποσα ἐναυτίως πέφυκε δι-
 στώτα· ὡς εἰ μὴ κερθήσκειν, ἐν δίκῃ
 βιώσουντο· κερθήσεται δὲ, ἀδικία. Hæc
 Tullius cap. 12 ita transtulit: *Dein-*
de voluptate & molestia mixtum amo-
rem: post iram & metum, & reliquos
motus animi, comites superiorum, &
his etiam contrario disidentes: quos
qui ratione rexerit, iuste vixerit: qui
autem his se dediderit, iniuste. Vnde
corruptos libros esse Critici suspi-
cantur, cum ἐναυτίως contrario, non
contrarios sonet. Adi Bosianas No-
tas ad Nepotis Eumenem. Lam-
binus propter eandem causam,
contrariè censet legendum esse.

DECEPTIO. Visum Vossio &
 Borrichio auctoritate carere: sed
 inueni non pœnitendam in Vi-
 truvii lib 11 cap. 8 extr. nonnullos,
 inquit, *impendentis loci deceptio cogit.*
 Posteriori ævo Augustinus Civ.
 Dei xxii 22 *deceptiones & menda-*
cia: & Confession. lib. viii, 2
philoso-

Aureo RESTITUTA. 61
philosophorum scripta, plena fallacia-
rum & deceptionum.

DEFECTVS *a um*, & Verbum
DEFICIOR. Acris Scioppii censu-
ra est in Infamia p. 91 *Nemo aurea*
Latini sermonis etate DEFECTVM
dixit, quem res aliqua deficit. Huic
doctissimus Borrichius opponit
Ouidium, & Cæsarem Germani-
cum. Ille enim ix Metam. v 154
vires defecto reddat amor: iterum
iii Pont. Ep. iv *His ego defectus:*
& Heroid. Epist. v v. 150 *Deficior*
prudens artis ab arte mea. Germa-
nicus in Hercule vertit, *Haud pro-*
cul effigies inde est defecta labore. Ad-
iungit clarissimus vir ipsum Iulium
Cæsarem iii Ciu. c. 64 de vulne-
rato aquilifero scribentem, *cum vi-*
ribus deficeretur. Ita Iungermanni,
Montani, & Goduini editiones,
etiam codex, quem Vrsinus alle-
gat, quamuis fere omnes libri, su-
periore sæculo excusi, *deficeret ha-*
beant, non deficeretur. Certius Ti-
bulli exemplum laudatus vir in
Ana-

62 I. LATINITAS *Sæculo*
Analectis superaddidit ex lib. 11
eleg. v

---- *solem defectum lumine vidit.*
Etiam in Lusibus Priapeis, quos
ipso Augusto tempore adscri-
bunt, Carm. XXI legitur,

Defectus pueroque feminaque.
Lubet proximi temporis scriptores
adiungere. Cornelius Celsus 11, 8
extrem. *a menstruis defecta.* Valer.
Maximus v cap. 1v extern. 6 *Cræ-
si filium loquendi usu defectum.* Se-
neca Epist. LVIII *defectum & pra-
mortuum corpus :* & Epist. CIIII
*Quamvis multum possideas ; tamen
quia aliquis plus habet, tanto tibi vi-
deberis defici, quanto vinceris.* Colu-
mella præfat. Operis : *annis defe-
ctissimus :* & 1v 30 *quibus si deficitur
agricola.*

FEMINIVS, siue *Fæminius*,
vulgo censetur recens nomen
grammaticorum esse : *Femineus*
contra antiquum, & Latini vsus.
Non nego, elegans *Femineus*, & ve-
terum vsu celebratum esse : nec ve-

ro alterum propterea est nouum,
aut a grammaticis excogitatum.
Varro de Re Rust. III, 5 *nomine femi-*
nino dixit : Plinius XXIV, 16, &
XXVII, 2 *femininus sexus* : & Quin-
tilianus I, 4 *feminina positio* : &
Palladius IX, 5 *radices feminei ge-*
neris.

HODIEQVE. Etiam hoc Sci-
oppius negat Infam. p. 44. Aurea
ætate quemquam dixisse. At dixit
Liuius I, 17 *hodieque usurpatur idem*
ius. Ad quam normam Critico-
rum princeps Io. Fr. Gronouius
eiusdem Liuii I, 26 vulgatum, *id*
hodie quoque, corrigit, & *id hodieque*
substituit : etiam ad lib. XXXI, 7
eandem medicinam adhibet. Suc-
clamant proximæ ætatis scriptores,
Velleius I, 4 & Quintilianus De-
clam. XVII.

HORTAMENTVM ὁ πᾶν
Vossius in infimum censum reru-
lit. Causam eius suscipere potest
Sallustius lug. c. 98 *ea cuncta*, in-
quit, *Romanis magno hortamento*
erant.

64 I. LATINITAS *Sæculo*
erant. Et Liuius VII, II *Quæ ma-*
gna, etiam absentibus, hortamenta
animi, tum subiecta oculis, simul ve-
recundia misericordiaque militem æ-
cendebant. Ex proximo sæculo suc-
cedant Silius lib. v v. 152

---- *aspera quisque*

Hortamenta sibi referat.

& Tacitus I v Hist. 18 *Hortamenta*
victoria. Gellius IX, 3 *Epistola (Phi-*
lippi ad Aristotelem) curæ diligen-
tiaque in liberorum disciplinashorta-
mentum est.

HYPOCAVSTVM eadem fata,
quæ præcedens vox, sustinuit. Vi-
truvius v, 10 eodem iure absoluit:
etiam Plinii & Statii suffragia non-
nihil prodesse possunt. Videatur
ille II Epist. XVII hic I Silu.
v. 59 Sed de ipso verbo, non de
vsu veterum seu significatione, hæc
dicta sunt.

ILLICITE. Aeneo sæculo ex
Vlpiani & Paulli legibus vindica-
bamus antea: iam in hunc ordi-
nem reducimus auctoritate Var-
ronis,

ronis, qui sub finem lib. v de Lat. Ling. dixit: *Illicium scriptum u. ueni in M. Iunii commentariis: quod ramen ibidem est quod illicite illexit.* Ulpianus accedat Lege xi de legat. & fideicomm. I. § 14 *si quis illicite edificasset.* Et Paullus Lege xi § 2 de publican. & vect. *si illicite aliquid in naue imposuerint.* Et Marcianus Lege ix de re militari, *pradium illicite comparatum.*

IMPVTARE Scioppius in Infamia sugillat. Fortiter tuetur Cl. Borrich. ex Ouidii Heroid. epist. vi v. 102 *acta uenenis Imputat:* etiam ex fragmentis Catonis. Si licet ex medio æuo addere, Tacitum Agr. xxvii, & Plinium ix epist. xiii extr. nominamus, sicut Curtius etiam vii, i n. 19 dixit, *tristiorum exitum fortune imputamus.* Hætenus de notione verbi primæua, *uredynen:* successit alia significatio, de qua infra in Æuo Argenteo agemus.

INANIMATVS reiicitur a Lambino,

bino, qui in Cicer. II Off. c. 3, ubi alii habebant *inanimata*, substituit *inanima*, quod etiam recepit editio Gruteri, Grævii, Gronovii. Quid? quod Nonius Marcellus etiam, vetus Grammaticus, in voce *INANIMA* hunc Ciceronis locum perinde, quam vult Lambinus, allegavit. Contra Paullus Manutius verbum *inanimatus* adprobat, quia meliores libri omnes III Nat. Deor. c. 16 habeant *rerum inanimatarum*. Pariter in Top. ad Trebat. cap. 18 mutavit Lambinus: at plurimi libri, etiam castigatissimus Gruteri, retinent: *animata inanimatis* (intellige ἀνὰ κούρην, anteponantur.)

INSALVTATVS. Quod Cicer. VIII Att. Ep. VIII, scripsit, ἀπερὶσων ἡττος *relinquere*, existimatum fuit, Latinum non esse *insalvatus*. At defendit Tmesis Virgiliana IX Æn. v. 289 *Inque salutatam linquo*. Servius: *Insalutatam* & est *Tmesis*. Alia auctoritas iam mihi non suppetit, præter Hieronymi
ex

Aureo **RESTITUTA.** **67**
ex Vita Paulli Eremitæ, cur insalu-
tatus abis? & Sidonii lib. i v epist. x
ineunte, annis iam multis insaluta-
tus.

INTERNVS, Vossius abiecerat,
vt minus Latinum: caussam eius
fuscepit Scioppius, sed infelicer,
quia nihil adferebat, nisi analogiam
vsq; Externus. Felicius defendit Cl.
Borrichius ex Ouidii Heroid. epist.
vii v. 113 Occidit internas coniux
maclatus ad aras, licet ipse dubitet
de sanitate huius versus, in quo
nobiliss. Heinsius Herceas legit pro
internas. De scriptoribus Argentei
xui res certior est, etsi nec de iis
quidquam Lexica commoneant.
Seneca enim Quæstionum Natural.
lib. v 1, 24 interno motu: c. 27 interni
ignes: Epist. xc v interna vlcera di-
xit. Plinius i i i proœm. & c. 4 in-
ternum mare: c. i litore interno: lib.
x i, 14 interna viscera. Tacitus Hist.
ii, 69 interno bello: i v, 54 interna
mala. Nec de Lexicis tantum est,
quod conqueramur, sed in Taciti
quo-

quoque Indice copioso, quem Melchior Freinshemius confecit, vox hæc desideratur, vtut etiam in Annalium libris occurrat sæpius. Vide vel solum lib. 11 in quo cap. 2 sunt *interna cades: c. 26 interna discordia: c. 54 interna certamina, &c.* Sed hæc de ætate post Augustum. Quid vero de Aurea, si Ouidii locus suspectus est? Præsidium quondam ex Ciceronis de vniuerso petebam, cuius cap. xiiii inueni scriptum: *ex ignis externi atque interni communi-
one inter ipsos, &c.* Nunc autem despero de Cicerone, quia veteres libri omnes, etiam Aldi P. F. Manutii, qui cum commentariis 1583 editi, verba illa omittunt. Lambinus minore charactere adposuerat, vt suo ingenio ex Platone suppleta; quæ tanquam Tulliana Dionys. Godofredus 1588 eodem, quo Ciceronis verba, typo expressit, quod in Gruteri quoque editione, & quæ hanc sequuntur, factum fuit. Gruterus enim, qui nul-

nullas Notas in hoc fragmentum scripsit, non videtur illud emendas-
se, sed typographo deberi, quæ,
præter Scipionis Somnium & Ara-
teos versus, Ciceronis fragmenta,
castigatissimo illi operi accesserunt.
Sic iterum patrono destituti, non
tamen causam huius verbi descri-
mus, sed alium requirimus, quo an-
tiquum suum ius & auctoritatem
tueatur. Id Sallustius, speramus,
præstabit, qui in Mithridatis ad Ar-
facem epistola (inter fragmenta lib.
av Histor. est) disertè scripsit: *Cum
ob ipsorum interna mala, dilata prælia
magis, quam pacem datam intelligerem.*

LITERATURA. Gifanius ob-
servat. p. 129 *Verbum novum* vocat,
quod ex Cod. Theod. lib. 14 de De-
cur. vrb. probat. At satis antiquum
auctore Cicerone 11 Philipp. c. 45
*Fuit in illo, inquit, ingenium, ratio,
memoria, litteratura, cogitatio, dili-
gentia.* Et Quintilianus lib. 11 c. 8
GRAMMATICEN in latinum trans-
ferentes, LITTERATURAM voca-
verunt.

MA.

MANIFESTARE. Neque Cice-
ro hoc verbum habet, neque Lexi-
con Cœlii, quod Forum Rom. dici-
mus. Vnde nouitatis suspicio mul-
tis suborta est. At oppido anti-
quum esse & Augustei æui, ex
Ouid. xiii Metam. v. 106 patet:

Insidias prodet, manifestabit que latentem.
Proximo post tempore vsus est
Pomp. Mela ii, 5 *Id manifestat me-
dia eius pars.* Iustinus xli cap. i *Hoc
ipsorum vocabulo manifestatur.* Soli-
nus quoque sæpe habet capp. v. viii
xxxv, & Tertull. Ref. Carn. cap.
xlii, & lxiii, & rarum aliis no-
men *Manifestatio* Sulp. Seuerus
Dial. iii cap. v.

NOVISSIMVS, NOVISSIME,
Gellius x, 21 Ciceroni abiudicat,
sed falso. Nam pro Rosc. Com c. xi
dicit: *quine in nouissimis quidem erat
bistrionibus, ad primos peruenit co-
mædos.* Etiam æquales Tullio vsi
sunt, Cæsar Gallic. i, 23 extr. *novis-
simum agmen,* Metaphrast. ἐπινο-
φύλακας: Cassius Ciceroni xi i
Epist.

Epist. XIII *novissima facta*: Catullus Epigr. IV de Phaselo, *amari novissimo*: Virgilius XI v. 825 *mandata novissima*. Aduerbum *Novissime* est Planci ad Cic. x Epist. xvii & xxiv: & Cassii xii Epist. xiii Sallustii Jugurth. cap. x, & Hirtii viii Bell. Gall. cap. i & 48, ut mirum sit, etiam Troni improbatum fuisse, contra quem Fl. Caper apud Charisium etiam ex Val. Antiate, antiquissimo scriptore, exemplum produxit.

NUTRICIUS. Mauult Nizolius Ciceronianum *Educator*. Sed Cæsar etiam substantiue dixit i i Ciu. extremo, *Photinus, nutricius pueri*. & ante, c. 108 *nutricius eius eunuchus*. Vetus inscriptio apud Grut. p. 603

MEMMIA TERTVLLA

NUTRICIO SVO ET MATRI

B. M.

Hyginus, quanquam, ut videtur Cl. Scheffero, inferioris ætatis, Fab. i i *Liber, cum in Indiam exercitum*
du-

72 I. LATINITAS *Sæculo*
duceret, Niso nutricao suo, dum ipse
inde rediret, regni Thebani potestatem
tradidit. Adiectiue dixit Colu-
mella 111, 13 nutricao sinu recipere:
& Arnob. 11 p. 58 nutricia cura.

OBITER reprehendit Scioppius
auctoritate Scauri Grammatici an-
tiqui apud Charisium lib. 11 & Im-
peratoris Hadriani, qui Scaurum
sequitur. Augustus Cæsar apud
eundem Charisium Tiberio loqui-
tur: *scribis PER VIAM a. n. t. s. OBI-*
TER. Sed ex usu plebis ita dixisse
Augustum Hadrianus autumat.
Nobis vero, etiam Cl. Borrichio, vi-
detur aliter, quia scriptores ætate
proxima minime plebei, Seneca,
Plinius, Quintilianus, Iuuenalis,
Petronius hoc verbo non abstinue-
runt. Pauca exempla sufficiant.
Sen. de Ira 111, 1 *ira in occurrentia*
obiter furit. Plinius præter citata in
Antibarbaro, lib. xv extr. *testatum*
fit obiter: & xviii 21 quadam pro-
pter alia feri obiter. Quintilianus
Declam. xvi *obiter & pæna sit.* Iu-
uena-

uenalis Sat. III v. 241 *obiter leget:*
 & Satyr. VI v. 479 *obiter faciem li-*
nit. Petronius, *obiter cantabant.*

PLVRIES Scioppius ex Cæsaris
 i Ciuil. c. 79 restituit, cum illustris
 Vossius maiorem, quam Trebellii
 Pollionis (in Gallienis c. 1.) aucto-
 ritatem non agnouisset. Libri qui-
 dem Cæsaris superiore sæculo
 Lugduni Galliarum & alibi im-
 pressi, habent *plures* pro *pluries*, sed
 sensu repugnante. Addit fidei
 Compositum *Compluries*, quo præ-
 ter Plautum etiam Cato apud No-
 nium, & Gellium v, 21 & ipse Gel-
 lius VII, 3 vsi sunt.

POENITENDVS. Etiam de
 hoc Vossius dubitauit: nos dubi-
 tare non finit Liuius I, 35 *sub haud*
pœnitendo magistro didicisse, scribens:
 & lib. XL, 56 *rex pudendus aut pœ-*
nitendus. Nec pœnituit verbi pro-
 ximæ ætatis scriptores. Valerius
 Max. v, 1. *non pœnitendas sortiri ex-*
sequias. Seneca epist. XXIII *uo-*
luptates pœnitenda. Hæc de Parti-
 D cipio:

cipio: at Verbaliter pœnitendum esse, dubitatum non fuit. Ipse enim Tullius vii Att. Ep. 3 valde ego ipsi, quod de sua sententia decesserit pœnitendum putem. Et Sallustius Ing. 85 reputate, num id pœnitendum sit.

POTENTATUS *pro potestate, dominatione, eidem Vossio suspectum fuit. Suspicionem eximit Iulius Cæsar, qui i Gall. 31 Hi, inquit, cum tantopere de potentatu inter se multos annos contenderent. Et Liuius xxvi, 38 amulo potentatus inimicus. Liceat etiam ex Æneo sæculo aduocare Tertullianum, de Resur. Carn. c. 22 Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum plurimo potentatu & gloria,*

PRAEDESTINARE. Hoc verbum olim in ecclesiasticis scriptum, quod apud sacros scriptores vfitatissimum videbamus, e profanis non alium deprehendere licebat, qui vñsus esset, quam auctorem Panegyrici Maximiano & Constan-

stantio dicti, cuius capite VII au-
 ctor *harum*, inquit, nuptiarum gau-
 dia predestinabas. Recentissimus
 commentator Iacobus de la Baune
 ibidem: *Vox haud Ciceroniana pro*
eo quod est, ANIMO PRAECIPIE-
 BAS. Sed quo rarius antiquis hoc
 verbum fuit, eò gravior amplissimi
 Borrichii diligentia est, qui Liuii
 verba XLV, 40 in memoriam no-
 bis reduxit: *Quos filios pretextatos*
curru vehi cum patre (Paullo trium-
 phante) *sibi ipsos similes predestinan-*
tes triumphos, oportuerat. Ecclesiasti-
 cum vsum vel solus Hieronymus
 atque Prudentius comprobant, ille
 epist. L quæst. 10 *Paulus*, inquit,
predestinatur in euangelium, ante-
quam nascatur: hic hymno Epi-
 phaniæ v, 63

Agnosce clara insignia

Virtutis ac regni tui

Puer ô, cui trinam Pater

Prædestinauit indolem.

PRAEVALERE Ciceronianum
 quidem non est, nec tamen pro-
 D 2 pterea

pterea contemnendum, quia Liuius præfat. Operis Participio vsus est, *praualentis populi vires se ipsa faciunt*: Vnde pronior coniectura, est, Augusto æuo ipsum verbum inusitatum non fuisse, quod breui post interuallo Columella in præmio scripsit: *Romuli proles venationibus, nec minus agrestibus operibus exercitata firmisimis praualeuit corporibus*. Et Plinius xvi, 22 multis locis hic mos praualet. Catulli quidem carm. vi legitur *praualet*: at suspecta lectio Scaligero atque Mureto.

PROXIMARE in Fabri Thesau- ro aliquoties aucto & recognito dicitur *recentioris Latinitatis verbum*. Verum antiquius est, nec ipsi Ciceroni ignotum qui Nat. Deor. ii, 44 *Capiti Equi proximat Aquarii dextra*. Aliud tamen antiquitatis exemplum non suppetit: multa vero Latinitatis posterioris. Apuleius v Metam. post princip. *luce proximante*, Censorinus cap. 8 *proximan-*

Aureo **RESTITUTA.** 77
ximantia sibimet zodia. Solinus
cap. 15 Geloni ad hos proxima.

ROTVNDITAS. Est, qui hanc
vocem, vt Ciceroniano indignam,
reiciat. Vitruuius tamen dixit ix, 4
rotunditas cœli: & x, 14 extra rotun-
ditatem. Plinius etiam xvi, 23 *circi-*
nata rotunditas.

TRVNCARE. Dubitant Lexi-
corum conditores, & ipse cum illis
Vossius l. 4 c. 28 an priores Domi-
tiani æuo hac voce vsi sint. Exem-
pla enim, quæ vulgo afferuntur
sunt Claudiani de Bell. Get. v, 89
manibus truncatus & armis: & v, 263
truncata membra. & Valerii Flacci
vi, v. 568 *in medio truncantem mar-*
more ceruos. Verum est, cadentis
Latinitatis tempore, quam floren-
tis, vsitatus hoc verbum fuisse.
Hieronimus epist. ix extrema,
Iudith in typo Ecclesia diabolum ca-
pite truncauit. Ammianus xix, 16
armati & imbelles sine ullo sexus di-
scrimine truncabantur: & xxix, 10
capite truncatus. At nec Augusteo

78 I. LATINITAS *Seculo*
tempore ignotum fuit. Liuius
xxx1, 30 Participium habet, *semissa*
& *truncata simulacra Deum inter pro-*
stratos iacere postes templorum: & Co-
lumella v, 5 (al. 6) *cum arbor sine*
ramis truncata est: ipso autem Ver-
bo vsus est Lucanus lib. vi, v. 566
Truncauitque caput: & v. 584 *casorum*
truncare cadauera regum. Vnde
minus dubitatur, priori ætate æque
Verbum ac Participium in vsu fuis-
se.

VALEDICERE diuifum nemo
in dubium vocauit: de coniuncto
dubitauit Vossius. Clarissimus vir
Olaus Borrichius opponit Ouidi-
um i Trist. Eleg. vii, v. 21, & Sene-
cam Epist. xvii Vterque Infini-
tum *valedicere* habet in excusis li-
bris. Verum quis stipulabit, nec
hosce diuise olim scripsisse, sicut
eodem libro Naso, Eleg. iiii *Sape*
Vale dicto &c. quo modo etiam
Apuleius suum *Valefacere* seiunxit,
lib. iv *Post hic vale facto, disces simus.*
Ciceronis & Suetonii *dico valere,*
inbeo

Aureo **RESTITUTA** 79
inbeo valere, tutiora sunt. Epist. Att.
v, 2 illum agentem aliquid, salutavi,
postea iam iussi valere. Sueton. Aug.
53. singulis valere dicebat. Tiber. 72
singulas valere dicentes appellare..

VIGILAX Vossius ad Sidonii
Apollinaris ætatem reiecerat: sed
etiam Propertius dixit lib. iv eleg.
vii

----- *Vigilatis furta Saburra,*
vt ex veteri libro Scaliger emenda-
uit, & accuratissimus Græuius edi-
dit, quibus plus fidendum, quam
Phil. Siluio, qui Lutetiis superiore
anno vigilantis recudit, quanquam
(miror inconstantiam) in Notis
perscripserit *vigilatis*, sine castiga-
tionis mentione. Columellæ vii, 12
sunt *vigilaces canes*, & viii, 2 *galli*
vigilaces.

VVLGARITER dubitanter in
hac classe pono, quia de Ciceronis
loco nondum constitutum est. Lib.
xiii epist. lxix ait, vt intelligeres,
me non vulgare, nec ambitiose, sed vt
pro homine intimo ac mihi pernecessa-

rio scribere. Sic omnes MSS. at editorum plerique *vulgariter*, quod mollius videtur, & a Plinio approbatum est lib. viii, 5 & xxviii, 14 ibi enim *vulgariter electam*; hîc *vituli ius vulgariter datum* dicitur.

Hactenus de singularibus verbis, quæ in suspicionem venerant malæ Latinitatis, nec tamen ignota fuerunt Augustei sæculi scriptoribus, sed ab ipsis in vsum elegantiores traducta. Nunc de *significationibus* agemus, quæ eiusdem sæculi aurei auctoritate a suspicionibus liberari possunt, in quam immérito suo & aliorum culpa inciderant. Sunt vero.

AVCTOR pro *scriptore*, quod non vniuerse probo, neque tamen rigide damno. Nempe *Auctor* inter alia significat *testem*, sicut Nepos in Themistocle extremo scribit, *nos eundem Thucydidem auctorem probamus.* Quod si ergo *scriptoris* verbum pro *teste rerum gestarum*, vel *Latinitatis*, adhibendum est, nihil

hil impedit, quo minus eleganter
auctoris nomen substituamus. Ci-
 cero III Offic. 32 *Polybius, bonus au-*
ctor in primis, scribit. Et ad Att. VII, 3
Cacilius malus auctor Latinitatis est.
 Liuius II, 8 *Apud quosdam veteres*
auctores non inuenio, Lucretium con-
sulem : & xxx extrem. Polybius
haudquaquam spernendus auctor tra-
dit. Plin. II, 3 *clarissimi auctores di-*
xere. Addatur Sciopp. Infam. p. 14.

COMPOSITIO in usu medici-
 nali, a Scribonii Largi censoribus
 in parum Latinis numeratur. Ini-
 que hoc fert Cl. Rhodius, & in In-
 dice Scriboniano hanc notionem,
 ipso Cicerone aduocato defendit,
 qui II, Nat. Deor. c. LVIII, extr. di-
 xit, *compositiones unguentorum.* Ac-
 cedit Celsus, scriptor vix inferior
 iis, qui sub Augusto floruerunt,
 lib. V, 17 *iidem effectus intra paucas*
compositiones sunt : & saepe alibi. Se-
 neca adiungi potest, cuius IV Be-
 nefic. c. 28 *Compositiones remedio-*
rum salutarium dicuntur.

CAPVT libri, pro *sectione maiori*, male videtur Vossio dici, quia *Caput* antiquis fit *summarium*. Tamen vulgaris vsus cuius verbi Borrichio non sordet, vt ipso etiam Cicero ne auctore probari posse confidat. Etenim in Fam. Epist. viii, *prima*, inquit, *duo capita epistola tua, tacita mihi quodammodo relinquenda sunt*. Et in Leg. Agrar. c. x, *quod in secundo capite scriptum est, non meminisse tertio*. Ergo idem pæne, quod hodie sonant, *Capita* antiquis significarunt.

COMMODARE pro eo, quod vulgo dicitur *mutuum dare*, leihent magno Vossio videtur male latinum, præsertim coniunctum, *commodare pecuniam*. Doctissimus Borrichius non deesse demonstrat, qui hanc notionem tueri possint. Cicero pro Marcello cap. vi, *Hæc a virtute donata, cetera a fortuna commodata esse videantur*. Et pro Cælio c. xii, *se aurum Cælio commodasse*

Aureo **RESTITUTA.** **83**
das se non dicit. Ovidius lib. 1 Amor.
Eleg. viii, v. 120

*Quod nunquam reddas commodos
usque roga.*

Asconius in Verrinam de Præf.
Urb. Tituli debitorum, nomina dicun-
tur, præsertim in iis debitis, in quibus
hominum nomina scripta sunt, quibus
pecunia commodata sunt.

DEPRECARI *pro veniam deli-*
etorum rogare, Abbitte thun / dubi-
taui olim priscis Latinis in usu-
fuisse. Adeo rara sunt huius no-
tionis exempla. Sæpe autem est
valde precari, sæpe propulsare & de-
testari. Prior usurpatio vulgaris
est Gellio vi, 16 in qua De ad au-
gendum & cumulandum valere,
dicit: posteriore De vim suam,
propriam conseruat notatque de-
pulsionem ac detestationem, sicut
inuidiam deprecari Cic. vi de Rep.
idem est, ut Gellius interpretatur,
ac propulsare. Iustinus xi, 9 vtram-
que notionem vna positione vocis
coniunxit: non mortem, sed dum

Darii corpus sepeliant, dilationem mortis deprecantur. Deprecari mortem est precando declinare: dilationem, valde eam precari. Sic etiam apud Cæsarem vii, 40 Ædui mortem deprecari dicuntur. Hæ duæ notiones nobiliores, quas solas inculcat Gellius c. l. & Manutius in Cic. Fam. Epist. iv, 7 Addunt tertiam alii, veniam petendæ factorum, quam Cl. Borrichius non solum ex Cæsaris loco, quem ad secundam retulimus, ipso sensu postulante: sed etiam ex Ciceronis Epist. iv, 7 constare putat, Hic pro te, inquit, unius sollicitudines, unius etiam multa & assidue lacrima C. Marcelli fratris optimi deprecantur. Nos cura & dolore proximi sumus, precibus tardiores, quod ius adeundi, cum ipsi deprecatore eguerimus, non habemus. Nihil heic autem video, quod dubitatam significationem adiuuet. Lambinus quidem legit pro te deprecantur, id est tua causa Cæsarem vehementer.

menter rogant : sed Manutius, Gruterus, Græuius, abiiciunt *pro*, & *te deprecantur* exponunt, *tuam salutem a Casare precibus petunt*. Neutra lectio confirmat vexatam notionem, Abbitte thun/ neque, qui sequitur *Deprecator* vertendus est Abbitter/ sed *Borbitter*. Idem Attico xi, 6 Q. fratrem audio *profectum in Asiam, ut deprecaretur*. Hic locus validior ad probandum est, præsertim si Manutii interpretatio accedat : *ut veniam a Casare peteret, quod cum Pompeio fuisset*. Misfis reliquis, quæ aliena videntur, aliquid tribuendum existimo Raterculi verbis ii, 86 *nec quisquam interemtus (a Casare) nisi paucissimi, & ii, qui deprecari quidem pro se non sustinerent*. Hæc ex Borrichianis Analectis. Io. Pincier in Parergis ii, 17 idem contendit ex Cæsaris vi, 4 *legatos deprecandi causa ad Casarem mittunt*. Ambigue Metaphrastes vetus *αυσιώμην αἰτῶντος ἰπρυψαι* : regius autem Professor

ſor Io. Goduinus, deprecandi *periculi* cauſſa, interpretatur, ſicut lib. v, 6 ad eadem de legatis deprecaturis verba commentatus eſt: *Deprecari apud auſtores bonæ latinitatis eſt precari, ne quid fiat.* Hiſce ergo vtcunque probabilibus non potui penitus perſuaderi, antequam *deprecationis* finitionem magis magisque expendeſſam. Cicerone de Inuentione 11, c. 34 *Deprecatio eſt, in qua non deſenſio facti, ſed ignoſcendi poſtulatatio continetur.* Auſtor ad Herenn. 11, c. 17 *Deprecatione utemur, cum fatebimur nos peccaſſe.* adde Quintilianum vii, 4 de eodem Nomine: de Verbo Pliniam adiungo Epist. 1 v, 29 *Egit ille in ſenatu cauſſam ſuam: egit autem ſic, ut deprecaretur.* Quid multa? *Deprecari* eſt vehementer expetere. quod ſi *veniam* ſubaudias, habes id ipſum, quod tantopere diſputatum fuit. Quamuis autem hæc ita ſint, vulgaris tamen uſus vel ideo reprehendendus eſt, quod

Aurto RESTITUTA. 87
quod tertiam notionem pro vnica
habet, priores omnino negligit,
mediam præsertim & elegantissi-
mam penitus ignorat. Quod et-
iam de nomine DEPRECATOR
notandum est. Sic ipse Cæsar vi-
ctor apud victos Pompeianos *de-
precator* dicitur Cic. Epist. Fam.
xv, 15 Vide Manutium.

INIUNGERE QUID CUI, Cl.
vir refugit, quod Cicero, *mandare
quid alicui dixerit, non iniungere.*
Etiam Nizolius in *Iniungo, Hoc
verbo, inquit, quod sciam, Cicero
nunquam usus est. Vtcunque de
Cicerone res habet, usus tamen
ipso verbo est Ciceroni æqualis D.
Brutus Epistola ad Ciceronem, quæ
libri ix, est tertia decima; & no-
tione controuersa Liuius iii, 35 *in-
iungere cui munus; & xxvi, 36 si quid
iniungere inferiori velis. Columella
i, 1 officium & laborem iniungere:
Quintil. Proæm. laborem iniungere:
Plin. x, epist. 55 inter prima iniun-
go tibi, ut &c.**

ITA

ITA affirmandi sensu suspectum habuimus : liberat suspicione Terentius Eunuch. a. iv, sc. iv, *Pro te huc deductu est?* Dor. *ita*. Et v. 54 *De ista rogas virgine?* Pythias : *ita*.

NEXI pro captiuis, ad inclinatam latinitatem in Antibarbaro reiecti sunt. Perstamus in sententia, si de Iustini sensu iudicandum est, qui xxi, 1 & 2 *nexos* generaliter dixit, quos vinctos captiuos & carceris colonos vocamus. At priscis Latinis hæc vox aliter significabat. Varro vi Lat. Ling. *Liber, qui suas operas in seruitute pro pecunia, quam debebat, dum solueret, (præbet, hoc Sigonius addidit mendoso loco) Nexus vocatur.* Hinc *nexi* distinguuntur a vinctis. Livius viii, 28 *Eo anno plebi Romane, velut aliud initium libertatis factum est, quod ligari nexi desierunt : & mox : ita nexi soluti.* Hæc adiecimus, ne, dum Iustini sensum notamus, ipsum verbum damnasse videamur.

SENSVS, de sententia verborum

Aureo **RESTITUTA.** 89
rum vel scripturæ, dubitavi olim
latine dici, quòd pro hac notione
nihil attulerat Rob. Stephanus in
Rom. Forum, nec succurrebat nisi
in finæ ætatis exemplum, Ammiani
scilicet xx. 20 dicentis: *Erat littera-
rum sensus huiusmodi.* Post amice
monitus ab exactissimo viro I. G.
Grævio, qui Phædri locum lib. iv,
fab. iv

*Nec testamenti potuit sensus colligi,
in memoriam impresfit; diligen-
tius in hanc causam incubui, inue-
nique Senecæ iv Controu. 24 *saluo
sensu* (verbum) *detrahere*: & Epist.
vii egregia dicta circa eundem fere
sensum: Asconii procem. in Verr. &
de Præt. Urb. post recitata Cicero-
nis verba, *Hic est sensus*: Gellii vii, 2
horum versuum sensus: & xix, 10 di-
cas, *qui sit notus huiusce versus sen-
sus.* Quibus inductus, cum Curas
secundas primum scriberem, Ar-
gentæ ætati hanc notionem vindi-
caui. Nunc vero in Auream redu-
co, postquam in vna Elegia Ovi-
dii*

90 I. LATINITAS *Seculo*
dii (III Pont. IX) exemplum ge-
minum deprehendi. Nam v. 34

*Nil tamen e scriptis magis excusa-
bile nostris*

*Quam sensus cunctis pane quod
unus inest.*

& vers. 43

*---- ne bis sensum lector reperires
eundem.*

Coniunctas nunc voces vindi-
cattum imus, quæ puræ Latinitatis
tempore ab usu non abhorruerunt.

ALTA VOCE Vosius barba-
rum vocat : a barbarie liberat Ca-
tulli versus Carm. XLIII *Conclamate
iterum altiore voce : & Senecæ Troa-
de 197 Hæc fatus alta voce. Nec dissi-
milis est Quintiliani sententia XI, 3
Attollitur [vox] concitatis affectibus,
compositis descendit, pro utriusque rei
modo ALTIVS vel inferius.*

CIRCVMACTO ANNO Sci-
oppius in Strada reprehendit. Etsi
autem *anno vertente*, quo Cicero II
Nat. Deor. c. xx, & Nepos in Age-
filao c. iv vsi sunt, elegantissimum
est :

Aureo **RESTITUTA.** 91.

est: tamen nec alterum in sordidis habendum, cuius nec Livium, castissimum scriptorem, poenituit. Lib. VI, 1 *Neque eum, abdicare se dictatum, nisi anno circumactō, passi sunt.* Lib. IX, 18 *in ipso conatu rerum circumegit se annus.* Lib. XXVII, 30 *induciarum tempore circumactō.* Lib. XLIV, 36 *tempus anni post circumactum solstitium erat.*

DAMNUM PATI in Famiano carpit Schoppius p. 50 & 177, sed iniuria. Nam Livius XXII, 41 *Hannibal*, ait, *id damnum haud egerrime pati.* Seneca de Ira, I, 2 *totos populos capitis damna passos.* Lucanus VIII, 750

... paterisque hac damna sepulcri.
Hæc loca clarissimo Borrichio debemus: ille primum illustri viro Marquardo Gudio.

FACERE BELLUM Seneca, epist. CXIV in Sallustii novis & intolerantibus numerat. Habet tamen Cicero pro Milone c. 23 *bellum patrie faciet:* & Catil. II, c. 7

con-

.92 I. LATINITAS *Sæculo
consilium belli faciundi abiecerit. &
Catil. III, 9 quæ gens una restat, quæ
populo Romano bellum facere posse vi-
deatur. Nepos Dione cap. 4 audi-
uit [Dionysius] Dionem in Pelopon-
neso manum comparare, sibi que bellum
facere conari Liuius I, 38 priscis La-
tinis bellum fecit.*

IMPLERE LEGEM trita fre-
quensque in sacris dictio, quam
propterea in Ecclesiasticis scripsi.
Sæcularis stili harmoniam Cl. Bor-
richius ostendit ex Ouid. III Amor.
I, v. 30.

*Implebit leges spiritus ille meas,
Et Quintil. Declam. xv Sentit cri-
men, quod detulit nec nomine nec ad-
fectu scripturam legis implere, i. e.
tantum non esse, quantum lege
eiusmodi descriptum designatum-
que sit. Interim Ciceronianas for-
mulas parere legi, obseruare legem,
sequi legem tutius usurpamus, ne
non ex Ouidio, sed ex Vulgata
Bibliorum versione latinitatem
hausisse videamur; SERVARE au-
tem*

Aureo RESTITVTA. 93
tem LEGEM tutum certumque
omnino est auctore Cicerone II
Epist. xvii, Horatio I Epist. xvi,
v. 41 Ouidio I Pont. I, v. 22 Liuius
xxxvii, 54

OBLIVIONI TRADERE Go-
clenius in Analect. p. 22 damnat
tanquam fictum ad modum Cice-
roniani, *tradere memoria*. At Li-
uius I, 31 dixit, *sacra obliuioni dede-
rant*: & IV, 37 *arma bellumque obli-
uioni danda*: & xxxii, 21 *stupra vir-
ginum matronarumque obliuioni den-
tur*. Non aliter, quamuis longo
interuallo, Capitolinus in Macrino
c. xi, *anteacta omnia obliuioni dare*.

PROPRIO MARTE. Quod Ci-
cero II Philipp. c. 38 *suo Marte ele-
gantissime dixit, proprio Marte su-
spectum non nullis factum est*. At
vero Ouidius IV, Pont. vii admo-
dum proprie

*Atque utinam pars hac tantum spe-
ctata fuisset,
Non etiam proprio cognita Mar-
te tibi.*

Sic

94 I. LATINITAS *Seculo*
Sic Liuius II, 53 *sine Romano duce*
propriis viribus consiliisque bellum gerere. Quod si vero ex usu iudicandum est, multa, quæ his similia videntur, ingrata sunt & a dicendi consuetudine abhorrent, ut Classe vi ostendemus.

Multa alia sunt, quæ videntur Germanismum sapere, nec tamen Aureo latinitatis tempore ignota, aut inusitata fuerunt. Hæc quia magno numero collegit Cl. Vorstius in Latinitate falso Suspecta; in præsentia tantum illa superaddimus, quæ nostro studio, in Liuiio præsertim, obseruauimus. Verbi gratia, *Bona venia vestra liceat*, Liui. VI, 40 *Dare bibere alicui*, idem XL, 47 *Nullam dilationem pati*, *keinen Aufschub leiden*, XXI, 51 *Haud grauatim* I, 2 *Pro certo affirmare*, XXVII, 1 *pro certo ponere* X, 9 *Alia super alia nunciabantur*, XXIII, 36 & XXVI, 41 *Prælium facere*, XXV, 22 (*duo secunda prælia fecit.*) *Victoriam referre*, Liuius IV, 10 ut taceam multa

Ci-

Ciceronis & aliorum, quæ apprime
conueniunt cum nostratium idio-
mismis. verbi gratia; *Victoriam re-
portare*, Cic. pro Leg. Man. c. iii, *Va-
let eius auctoritas*, ibidem c. xvi, *De-
misissime atque subiectissime quid ex-
ponere*, unterthänigst vortragen/ Cæ-
sar Ciu. i, 84 *Adhibere curam* Cic.
Ep. vii *diligentiam* v Epist. vi *Hon-
dierno die*, pro Marcello c. ii &c.

Syntaxis etiam, quæ nonnullis
lubia aut mala visa fuit, stabilien-
da est. Scioppius contra Voss-
ii. ix *Conciliare aliqua & duos inter
se conciliare*, reprobatur. Quid vero
respondebit Ciceroni, qui pro Rosc.
Am. cap. xxii dixit, *etiam feras in-
ter se se parius atque educatio & na-
tura ipsa conciliat*, & x Epist. xxii
*pacis inter ciues concilianda te cupi-
lum esse lator*. Proximo post duo
Seneca in Herc. Oetæo v. 407 *Con-
ciliat animos coniugum partus fere*,
hoc est, animos mariti & vxoris dis-
identes, quia Deianira furens ira-
undia mox subdit: *ipse forsam di-
ides partus toros*.

CAVS-

CAVSSA in Auferendi casupro
Ergo putant quidam vitiose præpo-
 ni. Et hoc quidem frequentius est
 in Latinitate cadente, apud Macro-
 bium 1 Sat. x *diem festum causâ pie-
 tatis statutum*: Spartianum in Ælio
 Vero cap. 3. *caussa adoptionis* &c. at
 neque Liuius erubuit ita loqui
 xxxix, 14. *ne quis, qui Bacchis ini-
 tiatus esset, coisse aut conuenisse causa
 sacrorum velit.* & Lib. xl, 41 *caussâ
 ignominie.* De Gerundiis vero
 monent Gissenſes, perperam præ-
 figi illis Ablatiuos *caussa, gratia,*
 hoc modo: *Veni gratia auscultan-
 di, non causa opponendi.* In alio
 autem, quam Auferendi Casu, præ-
 poni etiam Gerundio posse, ob-
 ſeruant iidem ex Cæsaris Civ. iii, 76
*Equitatum per causſam pabulandi
 emissum, confestim decumana porta in
 castra se recipere iussit.*

MEMINI ſequente Inſinitiuo
 Præteriti Temporis improbat A-
 græcius in libello de Orthographia
*Memini, inquit, me facere, dicere
 debe-*

debemus; non, memini me fecisse. Fal-
litur vetus Grammaticus. Cicero
enim pro Rosc. Am. c. 42 Memini-
stis, dixit, me ita distribuisse initio
causam. & III in Catil. c. 8 Vberibus
lupinis inhiantem fuisse meministis. &
pro Balb. c. 23 in columna aenea me-
minimus post Rostra incisum & perscri-
ptum fuisse. & Epist. XIII, 72 memi-
neris te recepisse. Quod eo magis
notare visum fuit, quod hodieque
clarissimi viri sunt, qui Agroeciū
sententiam sequuntur, etsi non
diffiteamur, vsitatus Præsens Tem-
pus cum verbo meminisse coniungi.
Add. Voss. Art. Gram. lib. VII c. 52
& Borrich. Anal. p. 42

Tandem etiam rariorem Synta-
xin attingimus. Talis fere est, *la-*
zet mihi, iubeo tibi &c. De priore,
dubitauimus in Antibarbaro, quod
vulgus Grammaticorum non nisi
ex Cic. Catil. I, cap. VI exemplum
affert, quod valde dubium est, &
ab optimis MSS exsulat. Sciop-
pius autem in Notis ad Sanctii

E

Miner-

98 I. LATINITAS *Seculo*
Mineruam p. 74 operosus est, vt
hanc structuram plenioribus testi-
moniis confirmet. Cic. post Redit.
in Senatu cap. vi *vbi nobis hac aucto-
ritas tanta tamdiu latuit?* Varro viii
Ling. Lat. n. 52 *Similia non solum
a facie dici, sed etiam ab aliqua con-
iuncta vi & potestate, qua & oculis &
auribus latere soleat.* Lucanus i,
v. 417 *at mihi semper Tu quacunque
mones tam crebras caussa meatus, Vt
superi voluere, late.*

Alterum, iubeo tibi, itidem Sci-
oppius c. l. tanquam maxime La-
tinum, defendit ex Cic. Att. Epist.
ix, 13 [al. 15] *Hæ litteræ Dolabella mi-
hi iubent ad pristinas cogitationes re-
uerti:* Liuius XLII, 28 *cui primo quo-
que tempore magistratus creare iussum
erat.* [quod tamen summo viro L.
F. Gronouio insolens visum, vt pro
cui iussum erat, malit quippe iussum
erat, vel quem iussum erat.] Ascon.
Pedianus Præt. Urb. p. 82 *Sylla mi-
hi iussit.* Addit Curtium vii c.
n, 18 in quo dissentit Cl. Freinshe-
mius.

Aureo RESTITUTA. 99
mius. Non repugno Scioppio:
neque tamen his raris exemplis ad-
duci possum, vt in Syntaxi, *iubeo*
tibi, a magni Vossii sententia disce-
dam, Græcismum esse, posterioris
æui, quam aurei sæculi, scriptori-
bus familiariorem. verbi gratia,
Tacitus xiii, 15 *iussit Britannico*: c. 49
quibus iusserat. Hyginus Fab. lv,
Iuno Tytio terræ filio iusserat. Clau-
dianus ii, Rufin. v. 155 *Hispaniæ*
Gallisque iubet. Prudentius Peri-
steph xiv. v. 386

Desiste, iudex sæculi, tantum nefas
Viris iubere fortibus & liberis.

Quid vero de λέξις *Latet me*, sen-
tiendum? Schoppius Infam. p. 84
Solæcismum vocat, nec magis La-
tinum, quam *Patet me*. Sed non
solum Poetæ, quos græcificare h. l.
Schoppius ait, Virgilius i, Æn. v.
30 Ouidius v Fast. v. 361 Val. Flac-
cus vi, v. 609 &c. ita locuti sunt,
sed etiam solutæ orationis auctor
grauissimus Marcus Varro Re
Rust, i, cap. xl, ineunte dixit, *Se-*

men --- quod latet nostrum sensum: & Plinius II, 20 Latet plerosque: Iustinus xxxi, 2 res Hannibalem non diu latuit. Quid? quod Ciceronis etiam testimonium aduocatur pro Sulla cap. xxiii, lex populum Romanum latuit, nisi, vt etiam Scioppius videtur, scriptum per notas P. R. librarii plenis litteris expresserunt, Casum ex suo ingenio formantes. Non improbo ῥῆσις, nec tamen valde amo, quia Cicero (excepto hoc dubio loco) Nepos, Cæsar, Liuius, Seneca, Curtius, & ceteri, quantum constat, ab ea abstinuerunt, cum quibus, præsertim soluta oratione, loqui, non solum, tutum, sed etiam elegantissimum est.

*Sunt tamen & alia Latinis Verba, quæ geminum eiusmodi stru-
cturam sustinent, verbi gratia DEFICIT MIHI & ME, cui adiicit Schoppius MANET MIHI & ME. Cæsar Gall. III, 5 cum tela nostris deficerent. Valer. Max. v, c. i extern. 3 nisi unum nobis defecisset. Sæpius tamen*

Aureo **RESTITUTA.** 101
tamen cum Accusatio : Cæsar
Gall. 11, 10 *eos res frumentaria defi-*
cere capit. Cic. Epist. Fam. 14, 13
id quoque deficiebat me. Liuius 22, 1,
15 *Procedente iam die vires etiam de-*
ficere Asdrubalis exercitum cœperant.
Alterius verbi **MANET** exem-
pla sunt, Cic. Phil. 11, 5 *cuius te fa-*
tum, sicut C. Curionem manet : licet
Sanctius & Scioppius etiam hic,
nescio quibus libris freti , Dandi
Casum malint. Tibullus 1 Eleg.
viii extrem.

At te pœna manet, nisi desinis esse
superba.

& ita fere semper construitur, cum
Expectare significat : etiam aliquan-
do propria notione. Aeneid. 111
v. 505

maneant nostros ea cura nepotes.

Idem Virgilius cum Dandi casu
alibi, Æn. 1, v. 257 *manent immota*
tuorum Fata tibi. & 1X, v. 303

Hæc eadem matricque tuæ generique
manebunt.

& Ovidius 111 Trist. 1 v extr.

E 3

Pro-

Prospere sic vobis maneat fortuna.

Quæ vero Sanctius Mineru. lib. 11
cap. 4 ex Virgilio allegat verba,

Et tibi pœna manet,

frustra adhuc quæsiui, nec index
Nicolai Erythræi habet. Ita vari-
ant auctores in gemina Construc-
tione, vt tamen alterutrum ge-
nus præferant & frequentius vsur-
pent.

Antequam ex Aureo sæculo dis-
cedamus, quædam dubitata Ad-
uerbia adiicienda duximus.

Hæc sunt DELECTABILITER
& VNIVERSALITER. Vtrum-
que probatur ex Varronis fragmen-
to, quod ex libro de Philosophia
superat, vbi non solum *voluptate*
delectabiliter moueri corporis sensus;
sed etiam vniuersaliter prima natura
dicantur. Speciosum sane argu-
mentum: etiam firmum, si de
fragmento res esset certior. Vt
Popma & Riccobonus proponunt
totum ex Augustini Ciu. Dei lib. xii
cap. 1 desumptum est, qui Varroni
sen

sententiam verbis non Varronianis, sed suis expresfit, quod facile patebit ei, qui nexum verborum Augustini inspexerit. Ipse Augustinus pro Varronianis non venditat, ita tandem confessus: *Hac de Varronis libro, quantum potui, breuiter ac dilucide posui, sententias eius* MEIS explicans VERBIS. Quomobrem ipse Borrichius, quem honoris causa appello, cum in Cogitationibus, vt Varroniana, contra Vossium defenderat; nostris Curis admonitus, in Analectis dubitare cœpit, & in medio ac incerto loco horum antiquam auctoritatem relinquere. Dum vero de Varrone dubitamus, non omnem auctoritatem his Aduerbiis abiudicatam volumus. Ex medio æuo Gellius adduci potest, qui xv, 1 Aduerb. *Delectabiliter*, & c. 2. Adiectiuo *Delectabilis*, (vt etiam ante ipsum Tacitus xii, 67) vsus est. *Vniuersaliter* exstat l. quod sæpe, § in his, Dig. de contrah. empt. Legis ver-

104 I. LATINITAS *Saculo*
ba hæc sunt: Ergo & si grex venie-
rit, siquidem vniuersaliter vno pretio;
perfecta videtur, postquam de pretio
conuenerit.

Tandem huc reiicimus, quod
supra, si certius fuisset, dicendum
erat, de significatu verbi ASSERE-
RE, quem Schoppius in Strada no-
tauit p. 177 nempe pro *affirmare*.
Dum enim suffragia colligimus,
pæne absoluerant hoc Caput operæ
typographicæ. Laudatissimus Bor-
richius quodam Catonis fragmen-
to nititur, quis veterum illud ser-
uauerit, non addidit, neque a no-
bis prouocatus, in Analectis expo-
suit. Addidit vero Roscianum il-
lud ex Ciceronis II Orat. cap. LIX,
Tibi vero, Antipho, assero. Verum no-
bis non certius hoc testimonium
est, quam illud Catonis, quia acu-
tissimi Criticorum Gruterus, Mu-
retus, Lambinus pro *asser*o legunt
& defendunt *bas sero*, id est, has ar-
bores planto. Forsan aliqua gra-
tia ad Herennium Auctor polle-
ret,

ret, nisi meliores codices lib. i v
 cap. XLVI pro *asserebamus*, habe-
 rent *differebamus*. Exemplum i i i
 Offic. cap. xiii quod Nizolius
 tradit, oppido falsum est, & dudum
 ex melioribus libris deleta illa spu-
 ria parenthesis. An vero in liber-
 tatem auream hoc Verbum asseret
 Verbale *Assertio*, id est *Affirmatio*,
Demonstratio, ter positum i Acad.
 Quæst. cap. x i i? Verum neque hic
 pedem tuto figimus, quia Stepha-
 nus & Lambinus substituunt *As-
 sensio*. Nihil ergo relinquitur pro
 auctoritate huius significationis ex
 Aureo sæculo, quod dubitari non
 possit: neque vero damnamus il-
 lam, aut deferimus. Altero enim
 sæculo in usum receptam fuisse, ex
 Taciti verbis liquet *Annal.* ii, 8;
*adseruit Tiberius, solitum paremque
 ceteris dicaturum: & xvi, 2 per quos
 nosceret, an vera adsererentur.* Tacito
 proximus Palladius lib. ii *Re Rust.*
 tit. 3 *Quæ, inquit, terra supra leni-
 ser infusa est, & subter sicca, si cum-*

106 I. LATINITAS. *Saculo*
aretur, asseritur per triennium sterilis
fieri. Iustinus quoque xxxviii, 2
Romam mittit, qui senatui assereret,
puerum -- ex eo Ariarathæ genitum.
Hæc de significatione affirmandi seu
demonstrandi: vindicandi vero op-
pido antiqua est.

CAPVT II

DE

Restitutis Saculo Ar- genteo.

HACTenus de Aurea ætate, ex
qua cum pauci scriptores ad
nostra tempora peruenerint, nimis
pauper latinitas esset, si nihil ap-
probandum sit, quod a Cicerone,
aut æquali non habeamus. Altera
quoque ætas, quæ ARGENTEA
dicitur, subuenire nobis debet, quæ
non solum compensat, si qui libri
superioris æui interierunt; sed sub-
inde etiam, vt fieri solet successu
tempo-

temporum, noua verba, non minus eleganter tamen & suffragio populi Latini formata, superaddit. Ex his cum itidem sterilitate Lexicorum, multa pœne amisissent ciuitatem Latinam, & in exilium immerito suo eiecta essent; singulari fortuna litterarum factum est, vt eruditi viri librorum assidua lectione illud intelligerent, quod prætermisum in Lexicis fuerat, & sine caussa damnatos exules in patriam reuocarent. Singula ordine recensēbimus, adiecturi, quæ ab aliis omiſsa, nostro studio obseruata sunt.

ADDITIO. Ciceronem quidam habere dicunt: locum non designant. At Quintilianus x, 3. *Ex eadem parte figurarum additio & abiectio est.*

ADVNARE. Probari non potest, ante Hadriani vel Antonini tempora quemquam hoc verbo vsum esse, & sic in extremum spatium Argenteæ ætatis incidit. An-

108 **RELATIVITAS** *Sæculo*
 -tiquissimus, qui id suum fecerit,
 quantum constat, est Palladius rei
 rusticæ scriptor, qui Februar. seu
 lib. III c. 29 habet, *membra iterum*
diuisa adunare, & vinculo constricta
deponere. Et IV, 10 extr. *germen ad-*
unatum. Post Iustinus Participio
 delectatus fuit, scripsitque V, 9
adunatis exulibus: XII, 2 extrem.
adunato xxx millium exercitu: XV, 4
adunatis sociorum copiis &c. Apule-
 ius etiam in Asclep. *species adunata:*
 ut ita non fuerit causæ satis, ut
 doctissimus Vossius, hoc verbum
 ideo reiiceret; quod Plinii locum
 XIX, 2 suspectum, vel falsum, de-
 prehendit. Simplex *vnare* est
 Tertulliani adv. Praxeam c. XXVII
ALIQUATENUS Vossio non
 probatur: probum tamen esse te-
 stantur optimi auctores. Mela I, 2
cum aliquatenus solida (Asia) proces-
issu: & II, 4 *Padus aliquatenus exilis*
ac macer, mox aliis omnibus augefcit
atque alitur. Columella IV, 3 *cum*
aliquatenus se confirmavit. Seneca
 Epist.

Epist. CXVI *Aliquatenus, inquis, dolere, aliquatenus timere permittit: sed illud Aliquatenus longe producitur, nec ubi vis, accipit finem: Ascon. Peditanus in Verr. de Iurisdic. Siciliensi, Si considerationem aliquatenus calumniatorem quereretur, reperire non posset. Plinius XXII, 7 Aliquatenus & folia emolliunt: & XXVII, 12 aliquatenus rubentibus.* Sic argenteo hæc vox suo restituta est: an vero & aureo potest? Borrichius ex Ciceronis XII, 21 (al. 22) ad Attic. adfert *aliquatenus concedere*, verum, sine Criticorum suffragiis. Manutius enim utraque editione (1548 & 1566) Sturmius vetere 1550 (nam recentior variata est) Dionys. Godofredus, & Gruterus habent *quate-nus*: Lambinus *quadantenus*: Græuius ὁ πᾶν salebrosū locum vocat, negatque vel *qua* vel *aliqua* in MSS. reperiri: immo infititia & delenda verba iudicat, quæ in Analectis nobis ab amplissimo viro opponuntur.

AMANVENSIS. Lipsium Sciopius sugillat, aliquando hac voce vsum, & addit: *anæ, ni fallor, ætatis scriptores AMANVENSEM inuenerunt.* Sed fallitur omnino Sciopius, quia Suetonius nequaquam ænæ, sed melioris ætatis, tum in Nerone cap. 44 dixit, *amanuensibus exceptis*: tum in Tito cap. 3 *cum amanuensibus suis per ludum iocumque certantem.* Non tamen negamus, vocem rariorem esse, & paucis exemplis innixam. Vetus lapides *libertos seruosque a manu* vocant, & ipse Suetonius Cæs. c. 74

BREVIARIVM. Senecæ vox noua videtur Epist. xxxix vsu tamen paullo post inualuit, vt nec Plinium eius puduerit lib. vii, 26 neque Suetonium in Aug. extr. & in Galba c. 12 Hos duces tuto Eutropius in titulo opusculi sui secutus est.

CLAMOSE. Vossius, CLAMOSE non dixero, etsi CLAMOSVS probum. At illud pariter probum esse, Quintilia-

Argenteo **RESTITUTA.** **III**
tiliani illa probant lib. XI, 3 *ne dicamus omnia clamosa, quod insanum est.*

COAEQVALIS. Barbaris accensuit idem: barbarismo absoluit Iohannes Vorstius Petronii & Iustini suffragiis. Ille enim in Satyr. *coequali natalium suorum* dicit: hic XXIII, 4 *in ludo inter coequales discenti.* Reddidit ornamentum maius (quod etiam dudum in Foro Rom. monstratum fuerat) Olaus Borrichius ex Columellæ VIII, 14 *ubi se paulum [anser] confirmavit, in gregem coequalium compellitur.*

CONSORTIVM. Cicero, Liuius & æquales perpetuo *Consortionem* dicunt, quod sequiores *Consortium*. Hinc nata quorundam suspicio, illud solum probum esse, hoc, latinitatis cadentis. At Cornelius Celsus, nisi ipse confors Augustei æui, certe eidem proximus, lib. VII, 27 scripsit, *orto cancro sepe adfici stomachum, cui cum vesica quoddam consortium est.* Seneca Epist. XC *Phi-*

112 II. LATINITAS *Sæculo*
loſophia docuit, colere diuina, huma-
na diligere, & penes deos imperium
eſſe, & inter homines conſortium, &
prope finem huius epiſtolæ, ad ra-
pinam ex conſortio diſcurrere. Pe-
tronius, conſortium ſtudiorum. Pli-
nius Paneg. c. 7. adſumtus in labo-
rem curarumque conſortium.

CONVERSARI CVM QVO.
Dubitauimus de hoc aliquando,
quia Cicero & æquales non habent,
& Pareus Obſeruat. p. 113 in ſordi-
dis abiecerat: nunc reddimus in-
tegritati, & quidem non ſolum
iunctum Præpoſitioni CVM, ſed
etiam ſimplici Datiuo, immo etiam
præpoſito INTER. Columella ix, ii
de apum examine: *ut multitudo ſe-*
ne diſcordia cum parentibus ſuis con-
uerſetur. Seneca Epiſt. xli conuer-
ſatur nobiſcum. Idem Epiſt. xcix
Nemo libenter trifti conuerſatur, &
Epiſt. xxxii conuerſari diſſimilibus.
Columella vi, 36 *aſinus a tenero con-*
uerſatus equis. Seneca Controu. i, 2
conuerſata eſ diutius inter humano
ſanguine delibutus,

CON-

CONVERSATIO pariter in reiectaneis a Pareo c. l. scripta, pro qua Cicero *consuetudo* habeat. At Plinius ix, 8 *caruit hominum conuersatione*: & x, 33 *ne cui frequentior conuersatio sit suspecta*. Seneca de Tranquill. cap. 1 *Tam bonorum, quam malorum, longa conuersatio amorem induit.*

DESTRUCTIO. Hoc quoque repudiatur a magno Vossio, cum cognato DESTRUCTOR. At innocentiam vocis tuetur Quintilianus, cuius est lib. x, 5 *destructio & confirmatio sententiarum*. Et Suetonius in Galba c. 12 dixit, *ciuitates destructione murorum punisse*. Nec dubitamus de bonitate verbi *Destructor*, licet maior, quam Tertulliani, auctoritas ad manum non sit, qui in Apologet. c. 46 habet, *rerum edificator & destructor*.

DORMITORIVM. Laudatum Vossium secuti abieceramus hoc verbum: nunc Pliniis facem preferentibus reuocamus. Maior enim

114 II. LATINITAS *Sæculo*
enim seu auunculus xxx, 6 habet,
in pariete dormitorii: iunior Epist.
v, 6 *dormitorium cubiculum.* -

EXACTE, Aduerbum. Pomponius Mela proæmio Geographiæ, & lib. i, 4 etiam Gellius i, 3 dixerunt *Exactius*, Comparatiue: Positius *Exacte* legitur in Sidon. Apollinaris Epist. vii, 9 quod itidem contra Vossium, qui hoc Aduerbum immerito proscripserat, notandum est.

EXPLANTARE pro *eradicare* auctore Columella iv, 14 v, 7 restituitur.

FAVORABILITER. Et hoc Vossio displicet. Placuit autem Quintiliano iv, 3 *Plerisque moris est, inquit, prolato rerum ordine protinus utique in aliquem latum ac plausibilem locum, quam maxime possint, fauorabiliter excurrere.* Palladius quoque præfat. de Insitione, *licet de his nugis, fauorabiliter sentias.* Suetonius in Nerone c. 7 *Troiam fauorabiliter-lusit.*

FE-

FESTVM Substantiue pro festo die, putabamus quondam Poeticum esse: at soluta oratione dixit ita Seneca Epist. CXIV *Genium festo vix suo testem*. Plinius VI, 22 extr. *festa venatione absumi*: XVI, 35 *festa sua polluit*. & Gellius XVIII, 2 *Deo, cuius id festum erat*. Tamen elegantius dicitur cum Cicerone, Lilio, Virgilio, Curtio & similibus *Festus dies*, vt alio loco probauimus.

FICTICIUS Vosio iubente damnauimus. Nunc contra sentimus, quia Plinius XXIII, 1 ait, *ficticium non potest videri &c.* cui succlammat Iulius Firmicus de Error. Relig. profan. p. 35 Ouzel. *Videtis, ve vestros ementitos & ficticios deos turbulentus error excogitauerit*. Etiam Varronis *Afficticius*, de Re Rust. III, 12 fidem potest facere, simplex *Ficticius* veteri Latio non exulasse. Ciceronis tamen est *Commenticius & Fictus*.

IMMACVLATVS etiam censente

116 II. LATINITAS *Saculo*
 sente Vossio male latinum. Latini-
 nitatem eius Borrichius ex Luca-
 no, Ammiano, Lactantio, Arno-
 bio, Tertulliano stabilivit. Suffi-
 ciat ex iis vnum exemplum Luca-
 ni lib. II extr. *Romanaque tellus Im-*
maculata sui seruetur sanguine Ma-
gni. Addo ex posteriore ævo Cy-
 prianum Epist. LXXXVII n. I. *incor-*
rupta & immaculata virtutum meri-
ta: & Epist. XLVII n. I *immaculatæ*
laudis integritas. Item Sulpic. Se-
 uerum, Hist. I c. 15 de Agno Pa-
 schali: *agnus immaculatus, annicu-*
lus. Etiam Sedulium lib. V de
 templo mentis dicentem: *quod*
seruare Deus nos annuat immacula-
tum.

IMPATIENTER non quidem
 Ciceronis est, aut, quantum nobis
 constat, æqualis scriptoris: attamen
 Plinius Epist. II, 7 illud dixit:
 & IX, 22 *impatientissime,* & Quintil.
 Declam. XI extr. *impatientius.*

IMPERFECTE. Quod Gellius
 II, 8 scripsit, *imperfecte,* atque *præ-*
postere,

*postere, atque inscite syllogismo esse
usum Epicurum, definimus de hoc
Aduerbio cum Vosio dubitare.
Inuenitur etiam apud Ammianum
Marcellinum xxi, 42 in illis libris,
ubi nonnunquam imperfecte Tullium
reprehendit.*

IMPRECATIO. Vosius veteri-
bus adiudicauerat hanc vocem,
quasi ex Calepino tantum, sine
auctore, cognitam. Nos Plinium
patronum aduocabamus, lib. v
cap. viii scribentem de populis
*Atlantibus: Solem orientem occiden-
temque dira imprecatione contuentur.*
Ita veteres nouique libri, nisi quod
Salmasius Exerc. Plin. p. 411 pro
contuentur supponit *comitantur*:
quem Harduinus ex MSS. confu-
tat. Cl. Borrichius in Analectis
succurrit nobis Senecæ testimonio
vi Benefic. c. 35 *caput sanctum tibi,
dira imprecatione desigis.* Addo
Hieronymum Vita Hilarionis: *Da-
moniacis imprecationibus huius impe-
diret equos.*

INORDINATE. Vel solus Cornel. Celsus auctor est, non male dici *inordinate*, quia lib. 111, 3 extr. scripsit, *febres inordinare redire*. Ammiani XIX, 14 est *inordinatim*.

INTELLIGIBILIS. Seneca, epist. CXXIV *Bene agitur cum senectute, si illuc longo studio, intentoque peruenit, ubi hoc & bonum & intelligibile est, & ex interuallo: sensibile indicant bonum: nos contrin-* *telligibile*. Præterea habet Macrobius 1 Somn. Scip. c. 6 p. 29 edit. Gronov. *in corporis intelligibilis lineam defluxit*.

INVERECUNDE. Seneca, epist. CXXIV *ineunte: aliqua ætas fuerit, qua translationis iure uteretur inuerecunde*. Et Quintilian. Institut. VII, 4 *Non inuerecunde dicet, multum sua interfuisse*.

INVISIBILIS, quod Vossius abiecerat, Borrichius auctoritate, Macrobi 11, 16 Somn. Scip. & Arnobii 1 p. 17 & Lactantii VII, 9
repo-

Argenteo RESTITUTA. 19
reposituerat, quibus Prudentium,
Apotheos. v. 191 *Est inuisibilis do-*
num Patris, addidimus. Nunc
præeunte in Analectis eodem du-
ce maiorem auctoritatem arces-
simus. Corn. Celsus enim Præfat,
Si manantia, inquit, corpuscula per
inuisibilia foramina subsistendo iter
claudunt. Hoc tamen verbum,
elegantè Cicero de Vniuers. c. 8
ita circumscribit: *Animus oculorum*
effugit obtutum : & 11 de Orat.
c. 87 *Res cæce & ab adspèctus iu-*
dicio remota.

IRRATIONABILIS. Cel-
sus præf. lib. 1 *irrationabile animal.*
Quintilianus Declam. ix *irrationa-*
bilis casus. Aduerbium *irrationabi-*
liter est Ammiani xix, 21 & Hie-
ronymi adv. Lucifer. cap. 2

IRRATIONALIS. Seneca
Epist. lxxi *Memini ex duabus par-*
tibus esse hominem compositum: alte-
ra est irrationalis, &c. Epist. xcii
Adiicimus rationali irrationale. Ad-
de Quintilianum x, 7 Cicero
vero

220 II. LATINITAS *Sæcul*
vero eleganter Off. 11, 3 *expers ra*
tionis.

LACTICINIVM Vosfiu
Vossianique censores abiiciunt
non malæ autem notæ esse vel so
lus Apicius probabit, qui lib. vi
c. xi *ad lacticiniorum*, inquit, *sex*
varium ova mittes quinque.

LIGATURA. Vossio dubi
tatum verbum confirmat Palladiu
Rutilius lib. i c. 6 *Ligatura*, inquit
in vitibus locum debet mutare, ne
unum semper assiduitas contemnat vin
culorum. Plura exempla ex eodem
scriptore suppeditat sæpe laudatu
Borrichius.

NEUTRALIS, non est vox
barbara, vt quibusdam visa, sed
latinorum grammatica. Quinti
lianus lib. i c. 4 *Quæ feminina po*
sitione mares, aut neutrali femina
significant: & cap. 5 nomina neu
tralia. At notio, qua medius &
neutrius partis, siue studio in
neutram bellantium partem in
clinans, hodie *Neutralis* dicitur
vete

veteribus inusitata & ob id merito suspecta est.

PRAESENTANEVS, i. e, efficax, Carolus du Fresne in Glos-
sar. Marcello Empirico & Deside-
rio Episcopo tribuit. Antiquius
est. Plinius xx, 2 *praesentaneum re-
medium*: & xxviii, 13 *praesentaneum
medicamentum*. Seneca Epist. xcvi
boletus praesentaneus. Sueton. Ner-
c. 33 *praesentaneum venenum*.

RECENTER. Si licet ex-
trema argenteæ ætatis huc adfer-
re, hanc vocem a plurimis impro-
batam vindicare possumus patro-
nis Apicio & Palladio. Ille lib. i
cap. i de re culin. *olivas de arbore
recenter sublatis* dixit: hic lib. i c. 26
*Claudantur turdi recenter capti mistis
aliquibus ante nutritis*. & mense
Aprili siue lib. v, 4 *recenter lecta
poma*: & xii, 6 de prunis, *recenter
lecta*. Ex sequiore ævo Macer ad-
di potest, qui cap. de Betonica
vulnera dixit recenter facta. Pon-
dus addat Plinius, qui xviii, 23

F dixit

122 II. LATINITAS *Seculo*
dixit *quam recentissime stercoreato so-*
lo, nisi Superlatius Positio vfi-
tior fuit. Fatemur enim non
elegantissimum positium esse, si
ex usu veterum iudicandum est:
nec Bedæ monitum Orthograph.
p. 2344 (edit. Putsch.) contemni-
mus: RECENS *feci dicimus RE-*
CENTER, utentes nomine pro aduer-
bio. Vide plura in Antibarbaro.

RORULENTVS Vossius
negat antiquis notum fuisse, &
Borrichius Cogitat. p. 35 in vitio-
sis posuit. At vero, quem ipse
magni æstimat, Columella v, 5
[al. 6] *Cauendum, inquit, ne vites*
rorulenta, sed sicca serantur. Plinius
xii, 17 *rorulenta Cypros: & xvi, 39*
ne doles materiam nisi siccam: neve
gelidam, neve rorulentam. & xviii, 31
uam ne legito rorulentam. & c. 33
noxium, si in rorulentum [pecudem]
duceres. Solinus cap. viii de Dio-
medeis auibus: *alis madefactis con-*
flaunt rorulenta.

SAGITTARE. Duas in
hoc

hoc verbo notiones distinguit Cl. Borrichius Cogit. Voss. p. 13 transitivam, quam merito damnat, & ob eius usum *vobiscum* convincit. Cretensem Dictyn, seu eius interpretem, quod *sagittarum praelio hostibus*, inusitato stilo scripserit: alteram intransitivam vindicat Iustino xli, 2 Solino, Vegetio i, 15 &c. Nos Curtium his antiquiorem adiungimus, qui vii c. 5 n. 42 *sagittandi usum* dixit cum veri neutrumquam dissimile sit, Curtii quoque verbum, cuius gerundium habemus, non ignotum fuisse, quod integrum habet Iustinus. Interval- lum enim inter utrumque non longissimum est.

SALVATOR. Vox hæc magno Vossio videtur post Ter- tulliani tempora in usum tradu- cta. Contra iam tum sæculo Traiani viguisse laudatus Borri- chius ex inscriptione probat apud Gruterum p. 19 n. 5

IOVI CVSTODI
QVIRINO SAL-
VATORI
PRO SALVTE CAE-
SARIS NERVÆ
TRAIANI AVG
COL
SARMIZ

SAPIDVS in Antibarb. defen-
dimus auctoritate Apuleii qui in
Metamorph. dixit *ruetum sapidis-*
simum: & lib. viii extremo, *femur*
sapidissime percoctum. Nunc mo-
nente Borrichio adiiicimus paullo
maioris ætatis scriptorem, Apicium
de Arte Culin. vi c. 4 scribentem:
Auem sapidiorē & altiorē facies,
& ei pinguedinem seruabis, si eam fa-
rina oleo subacta contectam in furnum
miseris. Idem lib. ix, 10 *iūs sapi-*
dum; & c. ii *sapidiores pisces*: & x, i
congrum sapidiorē habet.

* *Saporus* Prudentio *καθῆμα*. iv
v. 94 idem est, quod *sapidus*: &
saporati cibi dicuntur a Marcelli-
NO XXXI, 2

SPON-

SPONTANEVS. Scioppius contra Voss. probauit hoc verbum ex Senecæ epist. cxxi vbi *agilitas* dicitur *spontaneus motus*. Borrichius addidit Plinium xxviii, 7 cuius est *purgatio spontanea*. Vt taceam de Minucio Felice, Arnobio, Macrobio &c.

STERNVTATIO pro Sternutamento, non modo Vossius, sed censor quoque eius Borrichius in barbaris posuerant, quos duces priori editione Curarum secutus fui. In Analectis idem vir clarissimus reponit Augustino (Serm. CCXLI) & Apuleio (ix Metam.) auctoribus, quem maiore suffragio Scribonii Largi adiuvoo, vt in digniorem locum vox immerito proscripta restituatur. Ita autem ille Tiberio æqualis Medicus Compositione x *Ventrum nigrum, siccum & aridum sternutationem statim inuitat.*

SVBAVDIRE ad Antoninorum tempora reiecit Vossius: suæ

126 RESTITUTA. *Saculo*
 ætati reddidit Borrichius auctore
 Pediano, qui in Verrinam, quam
 Proœmium vocant, *Ad singula sub*
audiendum est &c. item de Præt.
 Vrb. p. 69 *Subauditur* ACCESSI
~~don~~ nou. & alibi sæpius. *Subau*
ditio est Hieronymi Quæst. Ebr
 in 11 Reg. 3

• SVBIVGARE. Timidus in
 hunc censum refero hoc verbum
 sola auctoritate Asconii Pedian
 adductus, qui in Verr. de Præt
 Vrb. p. 85 *quod quisque*, inquit, *d*
subiugata provincia per triumphum
apportauisset. Ceteri qui vtuntur
 omnes sunt posterioris latinitatis
 Arnob. lib. 1 p. 5 *populos captivitate*
et seruitio subiugare. Lactantiu
 1v, 10 *legi subiugavit*: Eutropiu
 1v, 8 *Rom. exercitus fuerant subiuga*
ti: Prudentius Cathem. vii v. 1
Hinc subiugatur luxus et turpis gula
 & alibi sæpius. Claudianus in v
 Consul. Hon. v. 249 *subiugat hostes*
 Inscriptio apud Grut. p. 281 n. 2

ORBEM TERRAE
ROMANO NOMINI
SVBIVGANTI
DOMINO NOSTRO
FL CONSTANTIO PIO
FELICI SEMPER AVG

SUPERCILIOSVS. Idem Borrichius contra Vossium defendit ex Senecæ Epistola cxxiii, vbi quos *tristes & superciliosos aliena vite censores* vocat: & Arnobii lib. v p. 164, cuius sunt *superciliosae ciuitates*.

SUPERFLVVS. Proprie Plinius Panegy. c. 82 dixit, *flumina campis superflua*. Per Translationem l. deducta § penult. Dig. ad SC. Trebell. *fructus superfluos restituere*: & § ult. *bonorum superfluum*. Plinii auunculi xvi, 1 est *pampinorum superfluitas*: & Aduerbiū *superflue* Claudiani Mamerti 1 cap. 22 & Saluiani vi de Gub. Dei p. 194

TRANSMVTATIO. Vos-

sus condemnauerat, quem plures
secuti, & nobiscum ipse in Cogi-
tat. Borrichius. Idem vero dili-
gentissimus vir in Analectis ream
liberauit patrono Quintiliano, qui
lib. i cap. v dixit: *duos in una voce
faciebat barbarismos & immutatione,
& transmutatione.* Addimus, quam-
uis inæquales, Tertullianum, Præ-
scr. adv. hæret. cap. 38, *adiectione
vel transmutatione*, dicentem: &
Ælium Donatum de Barbarismo:
per transmutationem litteræ.

VATICINIVM. Itidem suspe-
ctum fuit Vossio. Liberauit su-
spicione Borrichius Plinio VII, 52
auctore, qui *plena est*, inquit, *vita
his vaticiniis, sed non conferenda, cum
sepe falsa sint.* & Gellio XVI, 17 *Et
agrum Vaticanum, & eiusdem agri
deum præsidem, appellatum accepere-
mus a vaticiniis.*

VOLVPTVOSVS. Etiam
hæc vox suspicionem nouitatis
præbuit. Licet autem Cicero &
æqua-

æquales voluptarius dicant; non tamen voluptuosus definit bonum esse & latinum. Quintilianus Declam. CCLX. *Muta animalia, quæ venire ad manum, & mansuescere queunt, non humanum modo, sed etiam voluptuosum est, alere ac pascere.* Plinius Epist. 111, 19 *non minus utile, quam voluptuosum, posse utraque [prædia] eadem opera, eodem viatico inuisere.* Ex longo interuallo possum etiam Claud. Mamertum lib. 1 c. 22 adducere, & pro Superlatiuo Sidonium Apollinarem, Epist. 11, 9 scribentem, *voluptuosissimum tempus exegi.*

VORACITAS. Non solus Vosfius, sed alii etiam grauisissimi censores ciuitate pepulerant. Ad-uocabamus ex medio æuo patrones non contemnendos. Apuleius enim VII extremo de asino dixit, *securus, incumbens præsepio, voracitati suæ deseruit.* Arnobius lib. VII, p. 231 *seipsum pleno appetitu voracitatis instigent.* Eutropius XI, 12 de

130 II. LATINITAS *Sæculo*
Vitellio: *gravi seuitia notabilis, præ-*
cipue ingluuie & voracitate. Oro-
sius VII, 8 de eodem: *cum incre-*
dibili voracitatis appetitu humanam
vitam probris aggrauaret. Maiore
Plinii suffragio nos Borrichius ad-
iuvit ex lib. II c. 107 *Quæ est, in-*
quit, illa natura, quæ voracitatem in
 toto mundo avidissimam sine damno
sui pascit.

Sic etiam *phrases* quædam seu
coniunctæ voces proscriptæ fue-
runt, quas Argenteæ ætatis scri-
ptores vindicare possunt. nempe

ACCEPTVM CVI FER-
RE, quam dictionem in Vosio
notauit Schoppius num. 5 quasi
barbare truncatam ex Ciceronis
acceptum referre: defendit Vorstius
ad Valer. Max. & Borrichius.
Nam Valerius II, 7 extern. 2, *futu-*
rum, inquit, ut spiritum pœnæ impen-
derent, quem acceptum ferre dubitas-
sent. & VIII, 2 exemp. 3, *illius reli-*
gioni acceptum ferri debere. ita Pi-
ghius, Lipsius, Vorstius, & antiqua
Lugdun.

Argenteo RESTITUTA. 151

Lugdun. 1556 etiam manu scriptus codex Academiae Lipsiensis, ut non fuerit, cur Scioppius priorem locum in dubium vocaret; posteriorem Thysius & nuper Cantelius *acceptum fieri* ederent. Suffragatur Seneca Epist. LXXVIII, *Philosophia acceptum fero, quod surrexi, quod conualui.* Plinius II, 7 *Huic [Fortunae] omnia expensa, huic omnia feruntur accepta.* Et Plinius alter lib. II epist. IV *Quidquid mihi pater tuus debuit, acceptum tibi ferri iubeo.* Et eodem lib. Gellius IV, 18 extr. *cui salus imperii ac reip. accepta ferri deberet.*

OBNIXE ROGARE. Adverbium hoc cum *rogandi* verbo incongruenter haerere, a summo viro admonitus, cum Antibarbarum reformarem, non sine rationibus credebam. Postquam vero in Senecae Epist. XXXV incunte inueni: *Cum te obnixè rogo, ut studeas,* mutavi sententiam. Ex longo interuallo Hieronymus ad Pam-

mach. de opt. gen. interpret. Epist.

Cl. cap. 1 *capit a me obnixè petere.*

POENITENTIAM AGERE olim dubitavi, an Classici absolute, sine addito Genitiuo dicant. Nunc quod in Valer. Max. III, 4 exempl. 2 inueni, *Virtutibus effecit, ut hac ciuitas pœnitentiam ageret, quod regem a finitimis potius mutasset, quam de suis legisset: & VII, 2 extern. 1 utrum eorum fecisset, actuum pœnitentiam*; non potui illud non indicare. Nihilominus verisimum est, plerumque Genitiuum adponi, vt exempla in Antibarbar. data commonstrant, & ipse Valerius loco proxime dicto extern. 8 habet, *neglecti salubris consilii pœnitentiam egit.* Ecclesiastica notio peculiaris est, infra explicanda.

Tandem quæritur, an probæ nctæ sit **BONA CONSCIEN-TIA, MALA CONSCIEN-TIA.** Proprie *Conscientia* est multorum scientia: deinde animi testimo-

Argenteo **RESTITUTA.** 133
stimonium de rebus bene maleue
gestis. Cicero tum Genitium,
plerumque addit, vt officii, optima
mentis, scelerum & similium: tamen
etiam, quanquam rarius, Adiecti-
uum. Ad Attic. Epist. x, 4 *praecla-*
ra conscientia sustentor. & XIII, 20 *a*
recta conscientia trauersum unguem,
non oportet discedere. Sallustius Iug.
c. 62 *ex mala conscientia digna time-*
re. Frequentius ita dici coeptum,
cum inclinabat Latinitas. Seneca
epist. xii, *Hoc quod ille ex mala con-*
scientia faciebat, nos ex bona facia-
mus. & de Clem. i, 15 *satis fiducia*
habere in bona conscientia. Plinius
Epist. i, 12 *optima conscientia.* Ta-
citus Agric. c. i *bona conscientia pre-*
tio-ducitur. Quintilianus ix, 2 *male-*
dicta non intelligere bona conscien-
tia est.

Quid vero de formula SALVA
CONSCIENTIA? Symmachus iii
epist. 36 *Sunt leges, sunt tribunalia,*
sunt magistratus, quibus litigator uti-
tur, salua conscientia tua. Vete-
rum

134 II. LATINITAS *Sæculo*
 rum testimonia perquam rara sunt,
 nec offendi præter vnum Senecæ,
Quæst. Natur. lib. iv cap. i Nul-
lum, inquit, verbum mihi, quod non
salua conscientia procederet, excussum
est. At idem aliis verbis elegan-
 ter expresit Tullius. Pro Rosc.
 Am. cap. i *saluo officio quid facere*
posse: & cap. 34 *quod salua fide pos-*
sim: quibus gemella sunt in Offic.
 cap. 10 *quæ salua fide facere possit:*
 Idem i Epist. ii & iv *saluis auspiciis*
aut saluis legibus. Statius lib. v
 Silu. i v. 181 *saluo tamen ordine.*

C A P V T III

DE

Restitutis Æneo Lati- *nitatis Sæculo.*

Latinitas ætatis Æneæ, hoc est,
 uæ Antoninorum tempore, &
 posteriore nata fuit, non quidem
 est optima, neque magnopere cul-
 tori;

toribus Linguae commendanda; nec tamen eiusmodi, ut cum fordidis abiicienda sit, aut in barbarorum insulas deportanda, cum illud quoque tempus ingenia tulerit, quæ doctrinæ laude creuerunt, & hodieque apud eruditos in honore aliquo & pretio sunt. Non autem aliud fatum huius sæculi, quam superiorum, fuit, ut Vocabula nonnulla, quæ in Latinis tolerari possunt, tanquam barbara & putida reiicerentur, prorsus. Hos etiam exules nunc reuocatum imus, licet in præcipuum locum & dignitatem restitui non mereantur. Sufficit, ostendisse, non esse barbara verba, nec heri aut nudius tertius in trivio aut tonstrinis nata. Plurima autem, quæ vindicabimus, a summo viro G. I. Vossio proscripta, fuerunt, saltem, ut dubiæ ciuitatis, accusata.

ADDITICIUS. Ignorant Lexica, ideoque suspectum fuit. **Lege**

Lege vero xcviii de Verb. Signif. Celsus IC. *Cato, putat mensem intercalarem additiciū esse.*

BESTIALIS. Vossius proscripterat: & Cl. Borrichius Cogit. p. 26 in numero iuste damnatorum reliquit. At Prudentius ieiunantium hymno v. 153

Impexa villis virgo bestialibus.

BIBO *onis*, idem Vossius damnauit, calculum addidit suum Borrichius in Cogitationibus: in Analectis vero restituit qualicumque suffragio Iulii Firmici, qui lib. v c. 4 prope fin. *vitiosi, inquit, erunt, epulones & bibones.* An faciliorem admissionem Ciceronis *Epicurei combibones* parare possunt Epist. Fam. ix, 25? Addit tamen vir nobilissimus in Analectis p. 59 sibi non admodum vocem *Bibonis* probari.

COACTE, Adv. Posituum iam non aliunde, quam ex Tertulliani de Baptismo cap. 12 probare possumus: Comparatiuus ta-

Aeneo RESTITUTA. 137
men est Gellii x, ii *coactius* & *festi-*
natus facere: & lib. xix c. 2 *coactius*
interpretari.

COAETANEVS. Apuleius
viii Metamorph. p. 204 *Illum*,
amicum, coetaneum, contubernalem,
fratrem denique, addito nomine lugu-
bri, ciere. Tertullianus adv. Va-
lentinianos c. 16. *cum officio atque*
comitatu coetaneorum angelorum.
Hieronymus in Chron. Euseb. post
Præfationem: *quod cuique coeta-*
neum fuit, curioso ordine coaptavi.
Isidorus Orig. lib. x *coetaneus, quasi*
compar ætatis.

COAEVVS. Prudentius Ca-
themer. xii v. 137 de Herodis la-
niena:

Inter coævi sanguinis
Fluenta solus integer
Ferrum, quod orbabat nurus,
Partus fefellit Virginis.

Hieronymus principio Ep. cxlii
qui ei (Oziæ) in ceteris gentibus sint
coævi. Arator in Act. Apost. iii, 2
Glan.

Claudus erat, cui prima dies exordia vite

Membrorum cum strage dedit languore coeui.

Mendosissime quidam in Cicero-
nis in Vatin. c. 13 legunt *inter coe-*
uos, pro inter coquos. Vide Lambi-
ni notas, & Turneb. Aduers. lib.
xxi cap. xi extr. ac Andr. Schott.
Nod. Cic. iii cap. xvii

CONNUMERARE. De
hoc silent Lexica: etiam Index
Borrichii, quo Fori Romani ele-
mentum C vir diligentissimus sup-
pleuit. Nec vero inusitatum est.
Si codicis Arondelensis fide stan-
dum esset, vel in auream ætatem
reuocarem. Is enim Ovidianus
liber Trist. v eleg. iv, 20 legit

*Se quoque in exemplis connumerare
solet;*

vbi vulgatum est *annumerare.* Sed
sufficiat ætas Vlpiani, qui Lege
XLIII § 3 de Ritu nuptiarum, ex
priori Octaueno refert, *debuisse
his connumerari.* Et Arnobius lib. v
sub

sub finem : *quemadmodum connume-*
ratis & dicitis. Et Ammianus Mar-
 cellinus lib. xxv cap. xi *vir heroicis*
connumerandus ingeniis. Gloss. vet.
Συναριθμῶ, adnumero, connumero.

CONSISTORIVM. Dura
 sententia auctoris Fori Romani :
Barbarum est pro senatu, vel confesso,
vel confilio. Mitior Vossii : *nec Au-*
sonius refugit. Ita est. Ausonius enim
 ad Gratianum : *in illa sede, ut ex mo-*
re loquimur, consistorii. Sed præter
 Ausonium etiam alii non con-
 temnendi auctores hoc vocabulo
 vti sunt. Tertullianus de Spectacu-
 lis c. 17 *Theatrum vocet priuatum*
consistorium impudicitiae. Ammianus
 Marcell. xiv, 22 *admissus in consisto-*
rium. & lib. xv c. 8 *consistorium so-*
lus ingressus intimum. Martianus Ca-
 pella lib. i col. 12 ed. Basel. *intra con-*
sistorium Regis. Clariss. Borrichius
 addit inscriptiones ex Gruteri Ope-
 re, Valentis & Valentiniani tempo-
 re incisas, in quarum vna : **CAVSA-**
RVM NON IGNOBILIS AFRICA-
NI

NI TRIBVNALIS ORATOR, ET
IN CONSISTORIO PRINCIPVM,
item magister libellorum. In altera:
MAGISTRO MEMORIAE, COMI-
TI ORDINIS PRIMI INTRA
CONSISTORIUM ET QVAESTORI.

DEPRAEDARI. In hoc quo-
que damnando Vossianæ testulæ
suam adiecit Borrichius. At Apu-
leius lib. viii p. 215 *depredabantur*
regionem. Et ei æqualis Iulianus
iurisconsultus Lege vi § 3 de Ne-
gotiis gestis: *Qui depredandi caus-*
sa accedit, suo lucro, non meo commo-
do studet. Ac Ulpianus Lege i § 1
Dig. de Abigeis: *Abigei, qui peco-*
ra ex pascuis, vel ex armentis subtra-
bunt, & quodammodo depredantur.
Hieronimus in Esa. i, 8 *Si vitia nos*
quasi quadam bestia fuerint depredata.
Ab hoc est *depredatio* apud Lactan-
tium Epitom. c. 8 & Augustin. C.D.
xxii, 22

DESTRUCTOR, vide su-
pra ex Tertulliano.

FERIARI. Macrobius i Somn.
Scip.

Scip. c. 7 *ab armis feriabatur: & i Saturn. c. 2 scio, te non ludo, sed serio feriari: & c. 7 vitaremus torporem feriandi.* **Sidon. Apollinaris Epist. ix, 12** *animus tandem feriaturus, iam quæ propalare dissimulat, excolere decretat.* **Antiquiores præter Participium, Feriatus, & Tempora a Participio formata, de hoc verbo nihil habent.** **Cic. Nat. Deor. i c. 37** *Deum sic feriatum volumus cessatione torpere, ut si se commouerit, vereamur, ne beatus esse non possit.* **Trebonius ad Cicæ Epist. xii, 16** *ne putes in Asia feriatum illum ab iis studiis, in quæ tua cohortatione incitatur.* **Horat. iv oda vi** *male feriatos.* **Auctor Peruigilii Veneris** (quem **Lipsius i Elect. cap. v** in extremis imperii Augusti, **Salmafius Exerc. Pl. p. 1131** sequiori ævo numerat) *v. 31*

*Ite nymphe: posuit arma, feriatus
est Amor,*

Iussus est inermis ire.

FIGMENTVM. **Scioppius contra Famianum p. 89** hoc verbum repro-

reprobare cœpit, quem eo lubentius in Antibarbari prima editione secuti fueramus, quod Lexicographi vel nulla, vel falsa exempla adduxerant. In Foro Rom. laudatus est Cicero II de Orat. sed perperam. In eo libro enim non *figmentum*, sed c. 45 *pigmentum* legitur tam in antiquis editionibus Ascensii, Aldi, Sturmii, Godofredi; quam in accuratissima Gruteriana. Vnde polyhistor DAVMIVS, quem honoris causa nomino, de hoc verbo consultus, ita per litteras nobis respondit: *Miror, quorsum viderit Rob. Stephanus in Thesouro Latinae Linguae suo, quem Forum Romanum Cal. Sec. Curio postea vocauit; Ciceronis loco male laudato. Nec leuius παρρησια Calepini est ad Plinium x, 54 prouocantis. Nam insignis editio Frobeniana & aliæ antiquæ simetum habent, vbi ille figmentum legerat: nec in Belgica, cum Variorum notis, aut Harduini omnium optima, quæ superiori anno Parisiis prodit, vlla varietas scripturæ*

pturæ adnotatur. Nihilominus frequens hæc vox est apud scriptores ænæ Latinitatis, eaque non vno modo aut significatione vtuntur. Apuleius iv *Metamorph.* p. 155 *Bono animo esto, nec vanis somniorum figmentis terreare.* Pariter de infomnio Ammianus xix, 27 *per quietem deducentia se habitus tragici figmenta viderat multa.* Pro simulacro, statua, idolo dixit Cyprianus de Patientia, cap. 2 *Qualis in Deo & quanta patientia, quod in contumeliam suæ maiestatis & honoris instituta ab hominibus profana templa & terrena figmenta & sacra sacrilega patientissime sustinet.* Arnobius lib. vi p. 198 *Neque vllum est reperire figmentum alicuius numinis, quod non habitus certos ferat fabrorum liberalitate donatos.* Ammianus xiv, 15 *figmenta ærea, sensu carentia.* Et proximus argenteo ævo Aulus Gellius v, 12 *eiusque animalis (capræ) figmentum iuxta simulacrum (dei Veiouis) stat.* Pro Commento denique vsurpauit quinquies in solo

144 III. LATINITAS *Sæculo*
lo cap. 3 libri 1 de Somn. Scip. Macrobius. Et Minucius Felix cap. 11
Omnia ista figmenta male sanæ opinionis. Lactantius VII, 22 *Figmenta hæc*
esse poetarum quiddam putant. Tertullianus Resurr. Carn. c. 30 *figmentum*
veritatis in imagine est. Spartianus in Seuerō c. 21 *insimulatum fratrem*
parricidiali etiam figmento (Caracalla) *interemit.* Eleganter quoque
vſus est Prudentius Apotheos. v. 990
pro re facta & creata; & 11 adv.
Symmach. v. 215

--- *Non condidit alter*

Halantis animæ figmentum, &
corporis alter.

De his notionibus frustra consulueris Lexicographos nostros, licet ex multis tantum pauca produxerim. Exstat etiam antiquius testimonium apud Ascon. Pedianum de Præt. Urb. in principio: *Hoc totum figmentum est Ciceronis.* Verum quia in æqualibus Asconio, & in ceteris omnibus Argentei æui scriptoribus huius verbi nulla vestigia sunt, facile

cile Scioppio assentior, qui contra Fam. p. 89 scripsit: *Aurea & Argentea latini sermonis aetate, FIGMENTI* voce neminem usum comperio. Apud Asconium quidem semel inuenio: sed quis Asconium praestiterit ita scripsisse, cum alia manifeste barbarius verbis posteriores alleuisse constet, Quod vero de manifeste barbaris iam notauit Scioppius, id me totum, non approbare scias. Alia enim latinitas est posterioris aui, alia, barbara & insulsa,

HISTORIOGRAPHVS.

Capitolinus in Gordiano 11 prope finem; Ea debent in historia poni ab historiographis, quae aut fugienda sint, aut sequenda. Hieronymus in Chron. Euseb. Olympiade LXXIX Hellenicus historiographus, & Democritus philosophus, clari habentur. Paulus Orosius lib. 1 c. 1 qui [anni] ab omnibus historiographis vel omissi vel ignorati sunt. Fulgentius Mytholog. in Perseo, Theocritus antiquitatum historiographus refert. Fingebant illo

G

2uo

246 III. LATINITAS *Saenulo*
zuo vocabula. Sic *Psalmographus*
apud *Fortunatum* lib. ix. *carm.* ii

IGNOMINIOSE. Huius *Ad-*
uerbii, a *Vossio* repudiati, *vindicias*
scripsimus ad *Eutropium* nostrum
in *Indice* secundo. Nunc solos
auctores nominamus. *Eutropius*
dixit *ignominiose* lib. iv, 10 & ii *Ar-*
nobius *ignominiosus* lib. iv p. 147
Orosius vii, 7 & 10 *ignominiosissime*.

INCENTOR, id est instigator,
a *Scioppio* in *Strada* vt *barbarum*
notatur. Nec tamen abominanda
vox est, quia *Ammianus* xv cap. i
Apodemius, inquit, *quoad vixerat,*
igneus barbarum incentor. & xvi, 27
Chonodomarius totius belli incentor.
Paullinus Nolanus *Epist.* xxix n. 8
incentor potius, quam consolator la-
crimarum.

INELOQVENS *Vossio* displi-
cuit, non autem *Lactantio*, qui de
Opificio Dei cap. vlt. *Tullius*, inquit,
eloquentia unicum exemplar, ab indo-
ctis & ineloquentibus, quia tamen pro
vero utebantur, saepe sapientius est.

IN-

INFIRMITER iidem censores, quos sæpe nominauimus, loco mouerunt. Restitui potest auctore Arnobio, qui lib. vii p. 250 *Quam infirmiter, inquit, inualideque dicatur, ipsa rerum inaequalitas indicabit.*

INORDINATIO a Vossio damnata vox absoluitur iudice Apuleio, qui in Hermete p. 91 ed. Elmenh. *Senectus, inquit, mundo venit, irreligio, inordinatio, irrationabilitas bonorum omnium.* Locum primus ostendit Ck. Königius in Gazophylacio, post hunc etiam Borrichius.

INSOLITE. Quod veteres plerumque *insolenter* dixerunt, Vossius *insolite*, vt nouum, abiiecit. Quidam ex Gellio 1, 2 restitui posse crediderunt, sed meliores libri, H. Stephani, P. Mosellani, Io. Fr. Gronouii, Iac. Oisellii, Iac. Proustii, legunt *insubide differebat.* Augustinus autem de Doctr. Christiana cap. 23 extr. *si forte insolite acciderint.*

INVERECVNDIA. Quod Seneca locus, quem C.L.L. virorum

148 III. LATINITAS *Sæculo*
 Lexica promittunt, inueniri adhuc
 non potuit, licet identidem quæsi-
 tus tum a laboriosissimo Borrichio,
 tum a nobis etiam; sequioris ætatis
 testimonio in hac voce contenti
 erimus. Tertullianus in Apologe-
 tico cap. 7 *Dicimur sceleratissimi, de*
sacramento infanticidii, & pabulo in-
de; & post conuiuium incesto, quod
eueriores luminum canes, lenones sci-
licet tenebrarum & libidinum impia-
rum inuerecundia procurent. Arno-
 bius lib. II p. 93 *Cuius est pudoris, quin*
imo inuerecundia cuius, quod agere,
se videas, in eo alterum reprehendere?
 & lib. IV p. 150 *obduratus inuerecundia.*

INVISIBILITER non potuit
 pro reiecto non haberi iis, qui ad-
 iectiuum *inuisibilis* proscripserant.
 Nec nobis id valde placet, seruari
 tamen Tertulliani suffragio potest,
 qui adv. Valentin. c. 14 *quem, inquit,*
& non nouerat, ut inuisibiliter opera-
tum. Et Paullinus Epist. XX [al. XVI]
 n. 3 *Visibiliter & inuisibiliter operaris*
salutem nostram. Adiectiuum autem
Inui-

Inutibilis supra **Corn. Celso** vindica-
uimus.

LABILIS. **Arnobius** lib. ii p. 77
animas esse labiles, & infirmitate ad
vitia proclives. & pag. 79 *paruarum*
& labilium virium. **Ammianus** xxii,
20 *nec per infidum & labile solum gres-*
sus hominis possit vel iumentum firmari.
Idem lib. xxvii, 23 *per labilem limum*
incitato iumento digressus. **Cassiodo-**
rus epist. ii, 3 *cui labilis fortuna non*
imperat.

LATINIOR, LATINISSIMVS
non tuto a me vsurpari **Cl. Borri-**
chius p. 61 **Analect.** notauit. Equi-
dem non magnopere defenderim
nolim tamen in fforditorum nu-
mero haberi, quo **Hieronimus**, ca-
stissimus latinitatis inter Christia-
nos conseruator, vsus est **Epist. xiii**
ad **Paullinum** de institut. monachi:
nihil daltius, nihilque latinus tuis ha-
beremus voluminibus. Et **Epist. li** ad
Dominionem: *homo latinissimus &*
facundissimus. Et **Augustinus** de
Grammatica in **Aduerbio**: *ratio*

150 **ILLEATINITAS** *Saculo*
locuples est & viris latinissimis. Hunc
 imitati sunt auctorum memoria cla-
 rissimi viri. Laur. Valla Eleg. 1, 17
latinus erat: & 14, 18 inter auctores
minutos latinissimus. Roterodamus
 (Adag. Quid Cani & balneo) *inter*
Latinos latinissimus. Sadoletus lib.
 vi Epist. xvi ad Ioannem Cardi-
 nal. Lotharing. *litteris latinissimus.*
 Scaliger præfat. in Manil. p. 3 de
 Liuiio: *ornatior, quam Latinior, illa*
critico videbatur, qui Patavinum in
eo animaduvertebat & mox: eo scripto
(vel Hirtii vel alius de bello Hi-
span.) nihil latinus concipi potest.
 Hos addidi, non ut veteribus æqua-
 les faciam, sed ut ostendam, quos
 duces secutus fuerim.

LICITE a Vossio & Borrichio in
 vitiosis positum: fordes abluere.
 Orosius potest, qui lib. vi cap. 20
 (al. 18) de nomine **AUGUSTVS:**
ceteris, inquit, inausum dominis tan-
tum orbis licite usurpatum apicem de-
clarat imperii. Ita omnes editi li-
 bri, etiam vetus Paris. 1510, nec non
 duo

duo manu in membrana scripti
 bibliothecæ Paullinæ Lipsiensis.
 Neque contemnendum est; quod
 conferre compositum **ILLICITE**
 potest, auctore Varrone supra vin-
 dicatum: & **LICITO** Solini, qui
 cap. xi ed. Salmas. (al. 16) *Aedem*
Dianæ, inquit, præterquam nudæ
vestigia nullus licito ingreditur.

NIGREDO. Non solius Iordan-
 dis, hominis semibarbari est, c. 3
 Rerum Geticarum: sed Apuleii
 quoque, qui tempore Antonino-
 rum fuit, ut ex lib. ii Milesiarum
 sub calcem Antibarbari annotaue-
 ram. Borrichius Martianum Ca-
 pellam addit, nec tamen ex sensu
 damnatorum hoc verbum eximit.

PACIFICE iisdem censoribus
 improbatum, nec tamen barbarum;
 quia Cyprianus extrem. Epist. xli
 ad Cornelium scripsit: *Proinde se*
pacifice sibi ac fideliter consuluisse, si se
assertores evangelii Christi esse confi-
tenitur. Et Augustinus Civ. D. xviii,
 42 *Cum [Alexandri duces] regnum*

amplissimum non pacifice inter se possessori diuississent. Idem Epist. CCLV pacifice cognouerunt: & mox: pacifice concordetis.

PECCAMEN pro *peccatum*, Gildæ Vossius imputauit: verum antiquius est. Prudentius Apotheos. v. 915 de anima:

--- tincta malo peccamine principis
Adæ

infecit genus omne hominum,
& v. 933

Est incentiuum peccaminis.

Analogia quoque succurrit. Sicut enim a flare *flamen* & *flatus* est: ita a peccare *peccamen* & *peccatus*, vnde Tullianum est in manifesto *peccatus teneri*, Verrina extrema de iurisdicte. Sicil. etiam Gellio xii, 20 adprobante.

POPVLOSVS. Rara vox in Lexicis, eamque nec Cœli Forum Romanum, nec alia, quæ illud secuta sunt agnoscunt, saltim nullam auctoritatem adferunt. Cum Vossio itaque suspectam habui in Antibarbaro

baro primæ editionis: post exempla vidi copiose a Borrichio adducta; & longe plura inueni, cum ipse auctores latinitatis inclinatæ percurreram. Ex multis pauca sufficiant. Apuleius viii de Asino p. 203 *per plateas populosas.* & p. 212 *ciuitatem quandam populosam & nobilem, peruenimus.* Solinus cap. LXV *in Gange insula est, populosissimam & amplissimam continens gentem.* Vegetius iii, 19 *populosior [militum] globus.* Ammianus xxiv, 6 & 17 *ciuitas ampla & populosa.* Prudentius Peristeph. vii v. 61

Vix parens orbis populosa Pæni,
id est Carthago.

PROFVNDITAS. Antiquiorem Vopisco auctorem non habemus, qui *profunditas* dixerit, & ipse (in Saturnino c. 8) tantum Græca Phlegontis interpretatur. Macrobius autem pæne in deliciis habuit hoc vocabulum. Somn. Scip. i c. 6 *corporum tres sunt dimensiones, longitudo, latitudo, profunditas: & Saturn.*

vii, 14 oculus videt cæli profunditatem.

Præterea vsus est hoc verbo Saturn.

i, 20 & ii, 2 iii, 7 Et Tertullianus

de Anima c. 55 *abstrusa profunditas.*

Etiam Cassiodorus i, 45 & ii, 21 Ce-

teri, etiam ipsi Macrobio æquales,

profundum elegantissime dixerunt,

vt infra trademus. Hæc vero scripsi-

mus, ne quis putet, *Profunditas*,

quod quidem non elegantissimum

est, plane barbarum esse, cum a Vor-

stio reiectum legit c. 7 Lat. Susp.

PVRITAS. Palladius Re Rust.

xii, 14 de vino: *mox sumere purita-*

tem, colarique debere, & in vsum refer-

ri. Capitolinus in Vero c. 3 *Amauit*

Antoninus Pius simplicitatem ingenii

puritatemque viuendi. Macrobius

Somn. Scip. i c. ii extr. *absolutissima*

puritatis recessus: & cap. 13 extr. *per-*

fecta puritas. Symmachus Epist. iii,

29 *quid ego huic puritati dignum re-*

pendo? Hieronymus Epist. iii *Tul-*

liana puritate lucere: & Epist. ci c. i

puritas sermonis.

REVOLVTIO. Vossius ait: Non

memi-

memini me legere apud clasficos. Analogia bona est, & si clasificis Augustinum, non contemnendæ Latinitatis auctorem, dum antiquiores inueniamus, succenturiare licet, nec auctoritas vocabuli deficiet. Ille enim de Civ. Dei xxii, 12 extr. post multas reuolutiones: & de Trinitate lib. xii cap. vlt. reuolutiones animarum.

SOMNOLENTVS. Apuleius i Metamorph. extrem. *ubi me sentit in verba media somnolentum desinere.* Solinus c. 33 de Scandinauiz animali, quod alci simile, sed cui suffragines, vt elephantis, inflecti nequeunt: *somnolentum arbor sustinet.*

SVMMITAS Palladius Rutilius sæpe vsus est. Lib. i c. ii *perfectis parietibus, in summitate structura testacea cum coronis prominentibus fiat.* Adde eiusdem lib. c. 6 & 19 ii, 15 iv, 10 &c. Arnobius i p. 13 *Deum, summitatem omnium summorum obtinentem, adornare.* Censorinus de Die Natali c. 13 *ad terra summitatem*

ab eodem caelo tonos esse sex. Marcellinus lib. xxiii, 8 de Scorpione machina: *summitati eius unci ferrei copulantur: & c. 9 de Ariete, summities duro ferro concluditur & prolixo.* Macrobius Somn. Scip. i c. 6 *cum dua summitates duabus interiectionibus vincuntur.*

SUPPEDANEVM. Lactantius iv, 12 & Iul. Firmicus de Error. profan. Relig. verba Psalmi credunt *suppedaneum pedum tuorum.* Et Borrichius ex quadam inscriptione apud Gruterum, ostendit, novum vocabulum non esse.

VIRORE. Huius vocis nullum se exemplum reperisse Stephanus in Foro R. tradit: quæ verò inquirentium industriam minime fefellerunt. Apuleii & Fortunati loca, quæ G. M. König, quem honoris causa appellamus, primus exhibuit, in Antibarbaro produximus. Nunc adiicimus inuenta studio nostro. Palladius mense Iunio c. xii *cui adhuc superest aliquid de virore.*

Hic-

Hieronimus XXI Epist. ad Paullum Concordiensem: *futura nobis resurrectionis virorem in te Dominus ostendit.*

VNIRE. Participium philosophis Neronis æuo in vfu fuisse, Senecæ verba Quæst. Nat. II, 2 argumento sunt: *Expedire me poteram, si philosophorum lingua uti voluisssem, ut dicerem unita corpora.* An Verbum *Vnire* eodem aut proximo tempore vsitatum fuerit, haud liquet. Per aliquot enim sæcula (Tertullianum excipio, cuius est de Anima cap. 17 *Cælum rari unitur, ubi visio absumitur*) per sæcula, inquam, aliquot, solum Participium reperimus, apud Apuleium VIII Metam. p. 207. ed. Elemench. Arnobium III ineunte: Mamertinum Paneg. Iuliani c. 24 Iuencum in Luc. II, 13. Sulpicius demum Seuerus Hist. II, 43 *legatos Ariminensis concilii compellit imperator uniri hereticorum communioni.* & Claud. Mamert. II de Anima c. 10 *duo ista tenus uniuntur, ut ita par ratio*

158 III. LATINITAS *Saculi*
tio huius verbi sit. atque *feriari*, cuius
Participium oppido antiquum
est, verbum ipsum, quantum exem-
pla produnt, inferioris latinitatis.
Arnobius tamen compositum *dis-*
gniri, id est *solui*, suum fecit lib. II
p. 116

Haecenus de iis vocabulis, quæ
pro Barbaris habita fuerunt, nec
etiam sunt monetæ optimæ: tole-
rari tamen possunt, quia iis vsi sunt
scriptores nequaquam proletarii,
vtut ætatis posterioris. Plura huic
ordini accenseri potuissent: verum,
quæ rarioris vsus sunt, aut minus
præsidii in auctoribus Latinis ha-
bent, ea ad classẽ Cadentis Latini-
tatis reseruamus.

CAPVT IV

DE

Latinitate Argentei Aui
inclinante.

Post Augusti obitum remisisse
Latinum sermonem de pristino
vigo.

vigore & elegantia, ex iis monumentis constare potest, quæ proximo post tempore in lucem edita, & ad nostram ætatem transmissa sunt. Immortali laude digni sint Senecæ, Marcus & Lucius, Plinius vterque, Columella, Velleius, Valerius, & quæ alia magni nominis ingenia, istud sæculum tulit: at neminem puto, qui latine intelligit, tantæ audacia fore, vt laudatos hos scriptores Ciceroni, Liuiο, Cornelio aliisque æqualibus, non dico anteponat, sed tantum æquiparet. Ingenue ipse Rhetor Seneca in Proœmio lib. 1. Controuers. ait: *Quidquid Romana facundia habet, quod insolenti Gracia aut opponatur aut præferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia, qua lucem nostris studiis attulerunt, tunc nata sunt. In deterius deinde quotidie data res est.*

Nunc itaque specimen & documentum exhibemus Latinitatis leuiter inclinatæ: hoc est, exemplis dilucidis demonstramus, quæ Vocabu-

160 IV. LATINITAS *Sæculi*
cabula, quasue novas Notiones, &
dicendi genera adiecerit nouum il-
lud, quod sub Tiberio cœpit, Lati-
nitatis sæculum.

ADVERSITAS Plinius dixit lib.
xi, 25 *Antiquiores dubiores, aduersa*
&c. Nec posteriores facile suum fe-
cerunt. Augustinus Confess. x, 28
bis vsus est.

ADVNARE Iustinus sæpe, &
ante hunc Palladius, vt supra osten-
dimus. Cicero *coniungere, in vnum*
locum congregare, in vnum redigere.

ÆGRITVDO Ciceroni est tan-
tum animi, non corporis. iii Tuscul.
c. x *vt agrotatio in corpore, sic ægritu-*
do in animo. Sequenti sæculo fere,
neglecta fuit distinctio, & Columel-
la vii, 7 *ægritudinem* de morbo ca-
prarum: & Plinius viii, 1 de ele-
phantorum: etiam Tacitus pro
morbo humani corporis dixit ii
Annal. 69 & Curtius iii, 5 *animum*
ægritudo corporis urgebat. Tamen
etiam Hieronymus, infima ferme
ætate, distinctionis memor Epist.

Argentei INCLINANS. 161
xxxvii ad Iulianum scripsit: *Me-*
iugis tam corporis agrotatio, quam ani-
ma agritudo consumsit.

AN, AN, ob/oder/in dubitatione.
Seneca Suaf. vii *Dubium est, an sa-*
tius sit cum illis iacere, an cum his vire-
ro. Et alter forsan Seneca Epist.
LXIX extr. *Interest nihil, an mors ad*
nos veniat, an ad illam nos. Plinius
Epist. viii, 14 *Discere velim, an sen-*
tentias diuidi, an ire in singulas oport-
teret. Curtius iix, 6 n. 25 *Id an ad con-*
solandam patientiam verberum, an ad
incitandum iuuenum dolorem dictum
esset, in ambiguo fuisse. Elegantius
pro priore An, *Vtrum Num*, aut en-
cliticum *Ne* posuissent, aut illud
suppresfissent consueta ellipsi. Ta-
men. etiam Cicero Attic. ii, 6 *an hic,*
an Antii consistam: quæ si salua le-
ctio, in rarissimis eius numeran-
dum est. Adde ad Attic. xi, 6 extr.
Sed hæc de bimembri oratione.
Quod si tres partes disiungendæ
sunt, duas posteriores *an, an* con-
nectunt. Pro Rosc. Am. c. 41 *Quero*
abs

162 IV. LATINITAS *Sæculi*
abs te, iine, qui postulabant, indigni
erant, qui impetrarent: an iste non com-
mouebat, pro quo postulabant: an res
ipsa tibi iniqua videbatur? Et Liuius
xxi, 10 Virum hostem, an vos, an for-
tunam utriusque populi ignoratis? Pa-
riter Tibullus lib. iii Eleg. i v. 10 Si,
an, an adhibuit, ut si pro ne vel
virum sit. Num vero, si duz tan-
tum partes sunt. in aurea etiam
ætate an, an fuerit positum, fateos
me ignorare.

CONFISCARE. Sub Cæsaribus
natum verbum, vbi *fiscus* principis
ab *anprio* distingui cœpit. Suet.
Aug. 102

CORPORALIS & INCORPO-
RALIS. Seneca vtrumque coniun-
git Epist. LVIII *aut corporale est, aut*
incorporale: & Epist. LXXVIII a corpo-
ralibus se ad incorporalia transtulit.

CRUCIFIGERE. Alio loco lauda-
uimus Græuium, consummati iu-
dicii virum, quod ad Sueton Do-
mit. c. 10 annotauit, a *Christianis*
descriptoribus hoc verbum inculca-
tū.

tum. Et de Suetonio res certior est, qui Codices Torrentii pro eo, quod vulgo editum, *crucifixis*, habent *cruci affixis*. At quod Plinius VIII, 16 *leones in Africa crucifixos* scribit, & Quintilianus lib. VII, 1 *inuenerunt ducem crucifixum* : & Declam. CCLXXIV, extr. *quoties noxios crucifigimus* : & Hyginus Fab. CXCV extr. *quos rex iussit crucifigi* ; id nescio, an omne Christianis librariis imputandum sit, ut nihil relinquaturs gentili sæculo & genio, præsertim inclinati. Sane vestigia variantis scripturæ, quæ in Suetonio erant, hic, quod sciam, non apparent.

DECOLLARE non solum Suetonius Calig. 32 sed etiam Seneca dixit de Ira III c. 18 *ut quosdam ad lucernam decollaret*. Et de Morte Claudii: *quo [gestu] decollare homines solebat*. Et alter Seneca Controv. XXV *qualiter in foro decollentur*. Plautinum *spes decollat*, propter alienam notionem huc non pertinet.

FAVORABILITER vide supra
cap. II in Sæculo Argenteo.

IMPATIENTER vide supra suo
ordine in Sæculo Argenteo.

IMPVTARE pro *attribuere* su-
pra vindicauimus in Sæculo Aureo.
Nunc notionem, quæ noue accesser-
rat, explicamus. Casaubonus ad
Sueton. Tiber. c. 53 IMPVTARE
*Suetonio, Tacito, Iuuenali, Plinio,
Quintiliano, & aliis scriptoribus infer-
rioris aui valet, postulare aliquid gra-
tia apponi sibi. Suetonii verba sunt:
imputauit etiam, quod non laqueos stran-
gulatam in Gemonias abiecerit; proque
tali clementia interponi decretum pas-
sus est, quo sibi gratia agerentur. Et
Phædrus, iam tum Tiberii tempo-
re, lib. I Fab. 23 scripsit:*

*Noli imputare vanum beneficium
mibi.*

INSIMVL. Cl. Bortichius ad
Voss. p. 200 *Quisnam, inquit, ante
Statium, hoc est, ante Domitiani prin-
cipatum scripserit INSIMVL, optarent
mibi demonstrari. Statius vero eo
usus est I Silv. VI v. 36 Et*

Et gentes alis infimul togatas.

& Florus Præfat. *Si pariter atque infimul vniuersam magnitudinem eius ostendero : & lib. II cap. vlt. tota infimul regna veniebant,*

IRRATIONALIS & IRRATIONABILIS vid. supra in restitutis sæculo argenteo.

NIMIETAS. Columella vi, 23 *Nimietate perni pabuli pecudes exhiberate lasciuunt.* Palladius II, 13 *dixit etiam Pluratiuo Numero Nimietates.* Est autem hoc vocabulum æneo seculo, quam argenteo vsitatus, apud Apuleium lib. VII & IX Macrobius VII, 6 *nimietas vini :* Capitolinum in Vero c. 1 Treb. Politionem in Claudio c. 9 Ammianum xv, 1 Hieronymum Epist. LXII c. 1 Cassiodorum IV, 7 &c. Hinc est, quod Vossius impuris & parum Latinis adscripsit.

OCCIDENTALIS & ORIENTALIS. Plinius XVIII, 34 *ab occidentali latere septentrionis.* Iustinus
XXXIX,

166 IV. LATINITAS *Sæculi*
XXXIX, 3 *orientalia regna*. Palladius
III, 17 *ab orientali arboris parte*.

PIISSIMVS. Hunc Superlati-
uum Cicero XIII Philipp. c. 19 osten-
dit sua ætate nouum & ab auri-
bus abhorrentem fuisse. Post ita
loqui non refugerunt Seneca vter-
que, Rhetor. Controv. 27 Philoso-
phus ad Polyb. c. 26 Curtius IX, 6
Quintilianus Declam. x extr.
Frontinus de Aquæduct. lib. 1 &c.
Aduerb. *Piissime* habet Seneca ad
Polybium c. 34 Contrarium *impiis-
simus*, Ausonius ad Gratianum, &
Hieronimus Epist. XXVI c. 2 Cuius
autem ætatis sit PIENTISSIMVS,
certo definiri non potest. In libris
non obseruaui: frequenter autem
in inscriptionibus, quas vero singu-
las infra auream puto ætatem esse.
Vid. Grut. p. 418, 5 421, 4 462, 5
465, 8 606, 9 609, 10 &c.

RESTAVRARE Taciti est &
Iustini. Vide Indices Freinsheimii,
Vorstii &c. Inscriptio apud Grut.
f. 158, n. 9

GAL.

GALLIENSVS IMP. CAES.

AVG. CLEMENS. PIVS

VRBE. AEDIF. RESTAVR.

Ex floridiore autem ætate nullum, quod sciam, extat exemplum. Hinc Seruius ad Æn. II v. 15 videtur improbasse. INSTAR, inquit, est AD SIMILITVDINEM. Vnde non RESTAVRATA, sed INSTAVRATA dicuntur ædificia.

REVERSVS EST. Cicero semper *Reuertit, Reuerterunt* &c. atque ita fere omnes Augustei æui. Semel forsan Cæsar Participium *Reuersus* Gall. VI, 42 suum fecit: alibi & ipse *Reuerterunt* Gall. I, 8 II, 29 Post Augusti obitum nemo erubuit *reuersus est*, dicere. Phædrus IV Fab. 14

Sero domum est reuersus titubante pede.

Val. Maximus V, 3 exempl. 4 *alacer in urbem reuersus est*. Asconius Pedianus in Proëm. contra Pisonem: *Piso reuersus est ex provincia*. Addo Hyginum Fab. CXXXI, Frontinum IV, 2

RV-

RVBEVS pro *rufo*. *Rubens* veteres & *Ruber*: at Columella vi, i colore *rubco* vel *fusco*. Pallad. iv, ii boves *rubci coloris*. Hyginus fab. cxxxvi *natum esse vitulum, qui ter in die colorem mutaret, per quaternas horas, primum album, secundo ruheum, deinde nigrum.*

* *Rubeus* a *Rubibus*, oppido Italiae, vel a *Rubo*, quæ frutex est, i Georg. v. 266 Virgilius habet. Vide Seruium.

SALVATOR. Ciceronis tempore hoc verbum non fuit, ut illa in Verrem de Iurisd. Siciliensi c. 63 indicant: *SOTERA inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? ita magnum, ut Latino uno verbo exprimi non possit.* Nec tamen Christianis solis hoc vocabulum deberi, probat inscriptio, quam ex Grutero supra in Restitutis proposuimus.

SPECIALIS, SPECIALITER. Asconius Argum. in Proœm. Verin. *Quantum ad specialem intentionem libri huius refertur.* Cornelius Cel-

Celsus lib. v, 24 extrem. *Specialiter sic vocatur.* Columella iii, 9 extr. *Nunc illud proprie specialiter &c.* Sic quoque Quintilianus sæpe. At etiam Ciceroniano ævo sic vsum obtinuisse, non facile probaueris. *Speciatim* quidem semel dixit Tullius Post Redit. in Sen. c. 8 secundum scripturam Codd. Palat. & Erf. vbi vulgo legunt *Separatim*.

SOLSTITIVM de *brumali* tempore dici posse, constanter negat Vossius, ob id Macrobius & Servium reprehendens, Theodosiani ævi scriptores. Verum nec soli hi ita locuti sunt Macrobius quidem i Somn. c. 6 Servius autem ad i Georg. v. 100) sed Columella quoque vii, 3 *magis, inquit, ad rem pertinet, ut ante æstivum, quam hibernum solstitium consuelescat.* Nihilominus verissimum est, veteribus vnum solstitium notum fuisse. Cato de R. R. c. 17 *vbi solstitium fuerit, ad brumam, semper tempestiva* (*materies*) *est.* Cicero Nat. Deor. ii c. 7

170 IV. LATINITAS *Saeculi*
Possentne uno tempore florere, deinde,
viciisim horrere terra? aut tot rebus
ipsis se immutantibus, solis accessus
discessusque, solstitiis brumisque co-
gnosci? Seneca Quaest. Nat. iii, 29
Illic (in Cancro) solstitium; hic (in
Capricorno) bruma conficitur. Neq
aliter Plinius ii, 19 bis permutatis spa-
tiis in auctum diei; bruma octava in
parte Capricorni; noctis vero, solstitio
totidem in partibus Cancris.

STVDERE, simpliciter, pro bo-
nis litteris & artibus deditum esse. Se-
neca Quaest. Nat. vii, 3 *apud Chal-*
daeos studuisse. Quintilianus i, 2 que-
stionem proponit, utiliusne sit (pue-
rum) domi atque intra priuatos pa-
rietes studentem continere, an frequen-
tia scholarum & velut publicis prae-
ceptoribus inuadere. Suetonius Tib. 61
custodiae traditis studendi solatium,
ademptum. Plinius iunior ita saepe.
Sufficiat semel ipsum audisse ex
Epist. iv, 13 Huic ergo, Studes, in-
quam? Respondit, Etiam. Vbi? Me-
diolani &c.

SVB-

SVBIVGARE *supra* Cadenti latinitati adscripseram, sed ea conditione, ut initia verbi a uo Neroniano Asconii; usum validiorem posteriori tempori assignarem.

VERSARI CIRCA REM. Seneca ad Marciam c. 19 *circa aliquam versantur materiam.* Quintilianus 11, 15 *Quidam circa res omnes, quidam circa ciuiles modo versari Rhetoricen putauerunt.* Suetonius de Grammat. c. 8 *circa scenam versatus est.* At Cicero non aliter, quam in re, dixit. Pro Domo cap. 13 *versor in medio iure publico.* Epist. 14, 3 *extr. Seruius tuus in omnibus ingenuis artibus ita versatur, ut excellat.* Et vi epist. 11 *in studiis optimis versari.* Offic. 1, 42 *opifices omnes in sordida arte versantur.*

VOLVPTVOSVS. De hoc *supra* diximus in Restitutis.

CAPVT V

DE

Idiotismis & Singularibus quibusdam vocabulis ac dicendi generibus.

Singulis Scriptoribus suos Idiotismos esse & peculiare quasdam dicendi rationes, nemo inficias ibit, qui illorum litteras attentius perlegerit, ut, in quo conueniunt plures, obseruet accurate; & quod quisque sibi proprium tribuit, intelligat distinctius. Quæ ergo ab usu Lingux abhorrere, videntur, licet ab optimis auctoribus semel vel iterum sint dicta; ea neque nobis licet ad usum crebriorem adferre, multo minus in iis, quod stolidi sæpe homines faciunt, delicias quærere & stili elegantias.

Sicut

Sicut enim optimi quique poetarum subinde habent, quæ sibi solis, & æqualibus ingeniis licere volunt, unde *licentiam poeticam* appellamus; ita in soluta quoque oratione observantur, quæ frequentissime nemo imitetur, nec tamen in solœcismis scribat, sed tanquam singularia & *ιδιωτικά* obseruet & admiretur. Hoc exemplis faciemus planius.

ABSQVE pro *Sine*. Ciceronis sæculo inusitatum fuisse dixit Vortius Susp. Lat. c. 9 Ostendi in Antibatb. vnum Ciceronis exemplum ex 1 de Inuentione c. 36 nunc addo alterum ad Attic. 1 Epist. xix pr. *absque argumento*, nec multa apud antiquos alios, si Comicos excipio, obseruaueris. Quintiliani est lib. vii, 2 *absque sententia*, hoc est, sine proæresi. Quod igitur castissimi scriptores non nisi rarissime vsurpant, id stilo nostro in quauis periodo non indulgeamus. Ergo contra Linguae naturam est, quod

74 V. IDIOTISMI,
multi hodie ꝓ *Sine* raro dicunt;
omni sermoni & scripturæ ꝓ *Absque*
inferciunt. Non hoc aurei est sæ-
culi, neque argentei, sed prorsus
ænei aut deterioris.

ABSQVE ILLO ESSET. Te-
rentianum est, & Terentio, vt idio-
tismus Comictis, quod Vorstius et-
iam c. 1 iudicat, relinquendum.
Quæ in illius loco Cicero & æqua-
les, habeant, tum Vorstius ibidem,
tum nos in Antibarbaro ostendi-
mus.

ACQVISITIO. Solus, quod con-
stat, Frontinus in utroque libro de
Aquæductibus, forsan vt Artis vo-
cabulum, adhibuit. Lib. 1 ita:
Adiuuatus (fons Aquæ Virginis, quæ
Romam deriuatur) *ex compluribus*
aliis acquisitionibus. & mox: *acqui-*
sitionum ductus riuus subterranei effi-
ciunt passum MCCCCV Exemplum
ex Instit. Iustiniani lib. III tit. XI
n. 3 in Antibarbaro adieci.

ADOPTATIO. Habet Plinius
Panegy. c. 5, & Gallius v, 19 Vos-
sius

sius de genuina scriptura Gellii dubitat: ego magis de Plinii, quia, Belg. editio cum Var. Notis, & Parisiensis lac. de la Baune, *Adoptio* habent. Etsi vero vetus libellus de Differentia Signif. Gellianum verbum iisdem syllabis repetit tam in Basileensi, quam Godofredi editione: non tamen perit gratia alterius vocabuli *Adoptio*, quo ceteri scriptores omnes, & ipse alibi Plinius, delectantur.

ANTERIOR. Unicus locus ex Cæsaris Civ. III, 63 adfertur, qui antiquitatis rationem sustineat. Libri auctorum memoria excusi, habent *interior*: P. Ciaccconius mauult *exterior*: idque se in veteri suo libro reperisse testatur. Non est ergo, quod dubio verbo, donec maior auctoritas adfulserit, nimis crebro utamur. Cetera enim exempla, quæ prostant, sunt ex sæculo cadentis Latinitatis, Prudentii Hamartig. v. 39 & II adv. Symmach. v. 96 Symmachii Epist. VI, 59 Hiero-

nymi Epist. LXIX ad Auitum c. 3 Sulpicii Sev. i Hist. S. c. 52, & æquallium. Priscianus quidem lib. III in Comparatiuis Anomalis habet *Anterior*, nullum vero eius auctorem laudat.

COMMVNICARE CVI, De hac Syntaxi Barthius in Glossario, quod Claudiano Mamerto additum: *Solemnis locutio Christianorum temporum*. At etiam Iulius Cæsar Civ. III, 18 cum Dandi Casu: *quibus communicare de maximis rebus Pompeius consueuerat*. atque hoc constanter libri exhibent. Gifanius Observ. p. 19 adnotauit, *Rara phrasis*. Nisi ergo corruptus est locus, aut *Cum* eiectum; notamus vt σύνταξις ἰδιαιτέγειν: imitamur vero Ciceronis & omnium aliorum *communicare CVM* quibus.

CONCIVIS. Soli Frontino de Limitibus, si sana scriptura est, hanc vocem excidisse constat. Tu vero caue, tuam facias, ne stilus contaminetur. Miror, quid elegantiarum

rum

RARA ET SINGULARIA. 177
rum obseruator, Laurentius Valla
errauerit, cum lib. iv c. 83 ex ana-
logia vocum *Condiscipulus* & *Com-
milito*, etiam *Conciuis* vocabulum
ciuitate donare ausus est.

DECREMENTVM. Gellius iii,
10 *quasi iam mundo senescente, rerum
atque hominum decrementa sunt. Et
Apuleius de Mundo: decrementa
atque accessus fretorum atque astuum.*
Augustinus Soliloq. i. c. i *incremen-
tis decrementisque lunaribus.* Salma-
sius in Solin. c. i (al. 5) p. 42 putat
decrementa nascentium legendum es-
se, sed inuitis libris, qui habent *de-
trimentis*. Vides ergo, quam au-
thoritas *Decrementi* Gelliani decre-
scat. Fugiant, quibuscunque cu-
ræ est elegantior Latinitas. La-
ctantius ii cap. 5 *incrementa dimi-
nutionesque luna.* Censorinus de
Die Nat. c. 17 *omnis ætatis incremen-
ta & diminutiones obseruent.* Vitruuii
est ix, 4 *Decrescentia.*

FACILITER. Est fere Vitru-
uianus idiotismus, qui vel solo
H 5 cap.

cap. Lib. i compluries conspicitur. *Difficiliter* est Ciceronis iv Acad. c. 16 & Columellæ v, 3 ineunte.

FAMIGERATIVS. Pomponius Mela ii, 7 de Creta insula, *multis famigerata fabulis*. Secutus Apuleius in Florid. *fanum*, inquit, *Iunonis antiquitus famigeratum*. De Plauti *Famigerator* & *Famigeratio* ita Robert. Stephanus: *Hac duo nomina Plautus suo more effinxisse visus est*. Exstat etiam *Famigerabilis*, sed apud Apuleium, (ii Metam.) artificem fingendi noua, & refingendi obsoleta. *Famiger* tamen Varronis est Lat. Ling. v, 7

IGNOBILITER. Solinus cap. vlt. *ades ignobiliter ad culmen fastigiate*. Quis præter hunc dixerit, non compertum habemus.

IMPRAESENTIARVM. Noui, & in Antibarbaro inculcaui, esse Catonis, Nepotis, Taciti, Apuleii; & Fanni, antiqui Historici, apud Priscianum lib. xiii. Etiam de origine eius, notæ sunt doctorum coniectu-

iectione, Vossii de Vitiis Serm. I c. 25 Ouzelii ad Minucium Felicem p. 29 quanquam retractet sententiam Vossius lib. IV c. 33 Notari potest cum aliis antiquatis in Fannio & Catone; & singularibus in Nepote, quale illud *fac* pro *fac* est, Pausania vita c. 2 Tutius dicemus *in praesentia*, licet H. Stephanus in Pseudocicerone suo & ipsum suspectum habeat, quod tamen magno consensu confirmatur. Cicero v Fin. c. 8 *Sed quoniam non possunt omnia simul dici, haec in praesentia nota esse debebunt.* Caesar Gall. I, 15 *satis habebat in praesentia hostem rapiens, pabulationibus, populationibusque prohibere.* Livius xxxv, 8 extr. *nihil eorum quae postularet consul, decernendum in praesentia censere.* Plinius XIII, 3 *In praesentia externas [arbores] prosequemur.* Item, *ad praesens*, Cicero Epist. XII, 8

INDUBIVS. Habet Tacitus Annal. XIV, 45 & Quintilianus lib. V, 13 *Sed Quintiliani locus non*

certissimus. Editio Paris. 1520
Colon. 1527 Lugdun. 1544 nullum
vestigium vocis *indubia* habent.
Tamen vel idem, vel alius Quintilianus Declam. vii ineunte scripsit:
Veneram tanquam nunciaturus indu-
bia, manifesta. Liuius contra sex-
centies *haud dubius.*

IVBEO, VT, aureo & proxi-
mo latinitatis ævo notetur vt idio-
tismus, quia illa ætate Infinitius
iubendi verbum frequentissime &
elegantissime subsequēbatur. Rara
itaque sunt, quæ Liuius xxxii, 16
scripsit: *iussitque, vt, quæ ex sua clas-*
se venissent naues, Eubaam peterent:
& Tacitus xi, 32, 3 *iussit, vt Britan-*
nicus & Octavia in complexum patris
pergerent: & Suetonius Vesp. 23
iussit, vt continuo [statuam] ponerent.
Adde Curt. viii, 1 n. 38 Ouidii Me-
tam. vi, 508 ambiguum, quia alii
rogat legunt, vbi in vulgatis est
iubet, ore saluent. Fac vero, ge-
nuinam scripturam esse, quis au-
tem ignorat, plus poetis atque Co-
micis

RARA ET SINGVLARIA. 181
micis (quo Plautinum Amphitru.
I sc. I iubet, *ut dicant sententiam*, per-
tinet, reiecto altero, quod vir cla-
rissimus ex eiusdem comœdiæ pro-
logo allegat, in quo *ut non ab insu-*
fit, sed ab *orare* pendet)-quis, in-
quam, ignorat, his plus, atque aliis
scriptoribus, concessum esse? Po-
strema ætate inualuit hæc syntaxis.
Lampridius Elægab. c. 13 *iussit, ut*
trucidaretur: Capitolinus in Marco
c. II *iubens, ut quinos aureos scenicè*
acciperent.

MOECHARI. Auçtori suo, Ca-
tullo Epigram. xcv relinquendum.
Ecclesiastici non abstinent. Hiero-
nymus Epist. LXXXIII extrem.
ad Oceanum: *Si non mœchamur,*
sed occidimus, transgressores legis su-
mus. Alcimus Auitus ad Sororem
v. 437 *Mœchantur cum corde hominū,*
subaudi Ira, Luxus, Discordia.

NEOTERICVS. Vnus Asco-
nius in Diuinat. Verr. dixit *Neote-*
ricè, Aduerbium: Adiectiuum non
inuenio ante Aurelium Victorem
quem:

quemquam vsurpasse, de quo in Latinitate Cadente agemus.

**NEPOS EX FRATRE vel SO-
RORE.** Barthius ad Britonem, p. 431 defendit ex illo Ouidii *iii Pont. Eleg. iii*

Cesar ab Aenea qui tibi fratre nepos. Cupidinem alloquitur poeta. Sed hoc rarum & forsan solitarium antiquitatis exemplum, idque poeticum. Orosium vero & Hieronymum ita locutos esse, non negamus, sed infra notabimus. Veteres & puriores aliter. Cicero *iii Orat. c. 18 Speusippus Platonis sororis filius: & iii Offic. c. 18 cum Basilus M. Satrium, sororis filium, nomen suum ferre voluisset.* Nepos Agesil. c. 1, cum Leotrychide fratris filio habuit contentionem. Tacitus *Hist. iv, 70 sorore Ciuilis genitus &c.*

NON VERO pro non autem. Laurentius Valla *Elegant. ii c. 24 Non dicimus Non vero, sicut Non autem.* At Cicero de Senectute cap. 9 *Milo Crotoniates, cum iam senex esset,*
athle-

*athletasque se in curriculo exercentes videret, aspexisse lacertos dicitur, illacrymansque dixisse, At hi quidem iam mortui sunt. Non vero tam isti, quam tu ipse, nugator. Nisi hic VERO respondentis character est, ut Ego vero mi Scrui, vellem &c. Grande sphalma, quod nobis etiam aliquando imposuit; in Senecæ edit. Geneuensi, quæ A. Schotti nomen præfert; & nouissima Bataua cum variorum notis, Non vero, inquit, patrem damnare regis sui factum, non vero querere dignam tam truci portento pœnam: sed hoc interim colligo &c. Nam vetus Taru-
siensis 1478 Lipsii, Gruteri, & Parisiensis maior cum omnium commentariis, Non vero, utrobique habent, etiam sensus id postulat.*

NVLLIBI. Vitruuius solus dixit lib. vii, 1 In huius ergo idiotismis, quorum sane multi sunt, donec alia auctoritas veteris scriptoris accesserit, relinquendum censeo. Onomasticum vetus, *Nulli-
bi, ἰδαμῦ,* **NV.**

NVSPIAM. Scioppius auctor est, male pro Nusquam vulgo dici, licet commutetur *Vsqum & Vspiam*. Gellius autem v, 4 *Librarius in quoduis pignus vocabat, ni in una nusspiam littera delictum esset*. Ita Hen. Stephani editio Paris. 1585 & quæ nouissime prodiit ex Thyssii & Oisellii recensione: At Petri Mosellani 1533 & Lugdunensis 1565 posteriora verba ita tradunt: *si in una vsspiam littera delictum esset*. Ergo vel vt dubia, vel vt rarissima vox *Nusspiam* dimittenda.

OCTODECIM. Quoniam dubia raris commiscere cœptum, nunc de *Octodecim* disputabo. Non facile apud antiquum scriptorem hoc verbum repereris. In noua Plinii editione Belgica lib. xix, 23 etiam in Parisiensi nouissima Io. Harduini lego *Iustum est, uehes octodecim* [de stercoreatione loquitur] *iugero tribui*. At vetus Frobeniana 1539 *uehes xviii* Val. Maximus Iosephi Cantelii iii c. 3 n. 26 *octodecim*:
at

RARA ET SINGVLARIA. 185
 at Thyf. & Vorft. xviii Pariter Vellei. ii, 41 n. 2 Gruterus & Voffius *oëtodecim*, contra Lipfius, Bæclerus, Thyfius xix Epitoma Liuii cxxx ed. Gronou. *oëtodecim*, fed Froben. & Vineti xviii Sic Eutropium & Sextum Rufum editurus, ex collatione librorum didici, quod vnus & alter *oëtodecim* habebat, id in pluribus & melioribus per figna xviii expreffum effe, aut diuifis vocibus, *decem oëtlo: decem & oëtlo*. Vide Eutropium lib. vi, 7 Rufum. c. 15 Idem intelligo Paulo Orofio accidiffe. Vti Moguntia 1663 cum Francifci Fabricii Notis prodiit, in lib. i, c. 20 præfert: *per annos oëtodecim flagitiis impietatibus crefcens*. At vetufta Parifienfis de anno 1510 *per annos xix* exhibet. Eadem mutatio Hygini libros subiit. Nam in Aftro. in Ariete & Geminis, *oëtodecim* perſcriptum eſt: in Cancro vero, *decem & oëtlo*: vtroque loco Munckerus xviii edidit. Non autem accuratiſſimam curam in ſtella-

stellarum numeris adhibitam esse, ex eo manifestum, quod in Cl. Schefferi editione non Romani Numeri, sed Barbari, expressi sunt. In Basileensi autem de anno 1539 visuntur Numeri Romani. Præterea in Fragmentis, quæ cum Censorino eduntur vulgo, cap. xiv inueni *Ostodecim* scriptum: verum quia auctor fragmenti later, nec de scripturæ modo sponderi potest, quanquam ita Henr. Lindebrogius & Lud. Carrio ediderunt; ut dubium & incertum etiam hoc exemplum dimittendum erit. Quid vero dubiis opus est, ubi certiora adsunt & elegantiora? Cicero Acad. II c. 26 *Mathematici solem amplius duodeuiginti partibus confirmant maiorem esse, quam terram.* Cæsar. Gall. II, 5 *extrem. castra fossa duodeuiginti pedum munire iubet.* Columella II, 5 *lugerum desideratur, quod spissius stercoreatur, vebes quatuor & viginti: quod rarius, duodeuiginti.* Liuius x, 43 *extrem. Arma multa pauidi, ac*
signa

signa militaria duodeviginti reliquere.
Idem ix, 33 *circumactis decem & octo*
mensibus. Plura Iulii exempla nunc
sciens prætereo.

OPVS HABERE pro *Opus est*
mibi, Diomedes lib. i p. 301 *Vt Graeci*
dicunt ἔργον ἔχειν: nos non dicimus,
OPVS HABEO, *sed OPVS EST MIHI:*
Columellæ igitur exemplum
lib. ix c. i *frugibus opus habent*, etiam
Pinciero iudice i c. 2 Parerg. est ra-
rum & inusitatum, qui in Gra-
cismis non imitandis illud nume-
rat. Et Augustinus Retract. ii, 24
reformatione opus habere. Nihil
autem impedit, quo minus *necesse*
habere dicamus. Cæsar i Civ. c. 84
ne ad ultimum supplicium progredi
necesse habeant.

REMEDIARE. Scribonius Lar-
gus sæpe, in præfat. & Compos. i
Etiam Hyginus Fab. Cl. & Depo-
nentialiter Hieronymus ii adv. Io-
uin. c. 8 Hinc *Remediatio* est eius-
dem Scribonii c. i & *Remediabilis*
Senecæ Epist. xcv quam scriptu-
ram

ram defendit Gronovius ex MStis,
contra vulgatum *medicabilis*.

SATIES pro *Satietas*, multis hodie receptum, de cuius tamen auctoritate non satis constat. Rob. Stephanus allegat Plinium viii, 51 cuius est, *saginat is ac satie necatis*. & Silium iv v. 110

Nec finis satiesue.

Sed neuter locus suspicione caret. Alii enim in Pliniano *siti*, alii *satiestate* substituunt. Dausqueius ad Silium: **SATIAS** scribo *principe vocali*. Idem Silius vi, 51

Nec satias, donec &c.

vbi & Fr. Modius epist. xxii ex MSS. *satias* probavit. At verbum *Satias* non tantum antiquissimorum est, Terentii & Lucretii, sed Liuii etiam xxv, 23 extr. xxvii, 49 extr. Taciti Annal. iii, 30 Quod si Silii Italici & Plinii scriptura integra est, idiotismo vtriusque, & singulari modo dicendi adnumeramus.

SERVITVDO. Plerique *servitutem*

tutem vocant, quæ Liuius xxiv, 22
semel *seruitudo* est, si sana scriptura,
de qua Lipsius dubitat. Festus ta-
men etiam *seruitudo* agnoscit, &
Glossæ Cyrilli, *Seruitudo*, *δουλεία*,
Notandæ hæc sunt, non imitanda.

SOLVMmodo. Si veteri au-
thoritate standum est, non video,
ad quem prouocari possit, præter
Plinium, qui lib. xxxiv, 8 sub fin.
Non ere, inquit, captus nec arce,
vnam solummodo Zenonis statuam Cy-
pria in expeditione non vendidit Ca-
to. Contra *Tantummodo* omnium
omnis ætatis scriptorum est. Vor-
stius ergo, quem fugisse videtur
exemplum Plinianum, in Additis
ad iteratam editionem Latinitatis
Merito Suspectæ c. 32 putat, in nul-
lo eorum auctorum, qui iuuentu-
ti commendari solent, reperiri. At
præterea etiam tritisimum est scri-
ptoribus Christianis; extra Eccle-
siam, quod miror, apud eiusdem
temporis scriptores reperire non
potui: nisi Vlpiani Lege 1 § 3 Dig.
de

de Aleatoribus *solummodo pœnalem actionem denegatam*: nisi forte Tribonianismus est. quod ex Lege i D. de penu legata apparet, ubi etiam, *solummodo in præstatione esse*: extrema autem lege vox *indeuotio* videtur Brissonio quoque a Tribonio potius, quam Vlpiano, esse. Ecclesiasticorum testimonia quædam adferam, Tertullianus de Resurr. Carn. cap. 26 *Iudai, inquit, terrena solummodo sperando, cœlestia amittunt.* Minucius Felix in Octauio cap. 35 *sect. 6 Nos uxoribus nostris solummodo viri nascimur.* Hieronymus Epist. xii ad Paullinum, *si [Crucis & Resurrectionis loca] Monachorum turbis solummodo frequentarentur.* Cassiodorus v, 16 *Illud solummodo perfectum dicitur, quod de voluntate simul & actione laudatur.*

SCRVTINIVM solius fere Apuleii est, quantum constat, inter antiquiores, lib. ix extr. Metam dicentis, *Magistratibus placuit, obstinate denegantem, scrutinio detegere.*
Ex

RARA ET SINGVLARIA. 191
Ex longo demum interuallo Am-
mianus xxix, ii *scrutinia supellectilis*
dixit.

SINE OMNI pro *sine vlllo*, Co-
micis non admodum rarum est,
quod etiam Cl. Vorstius de Susp.
Lat. c. ix exemtos voluit: ceteris
vero perrarum, immo plurimis in-
auditum inusitatumque. Ovidius
iv Trist. viii v. 33

Iamque decem lustris omni sine labe
peractis.

Contra infinita exempla existant,
quibus *sine vlllo* vt probatissimum
elegantissimumque commendatur.
Præter illa a Vorstio atque alibi et-
iam a nobis producta, tantum ad-
ponere liceat, quæ proxime obser-
uauimus. Cic. iii Catil. c. 2 *sine*
vlla mora: & c. 6 *sine vlla varietate*:
iv Catil. c. 3 *sine vlla dubitatione*.
Sallust. Iug. c. 62 *sine vlla pactione*.
Liuius xxi, 26 *sine vlllo certamine*:
c. 40 extr. *sine vlla humana ope*. Gru-
ter. Inscript. p. 590, 10 *cum quo vixit*
sine vlla offensa. p. 638, 2 *cum qua vi-*
xit

xit sine ulla querela. p. 795, 6 sine controuersia ulla & 823, 8 sine ullo discrimine : & 1030, 4 militauit ann. XIX sine ulla castigatione. Quis non tantum consensum malit sequi, quam rarissima exempla, quoniam Comicos in ea causa, quam Cicerro & æquales, & his posteriores ad vnum fere omnes deseruerunt?

SVSTENTACVLVM. Quis veterum præter Tacitum Hist. II, 28 vsus sit, videre non licuit. Lexica hic silent, & ob id Vossius damnauerat. Posteriores pro *alimento* vtuntur, quemadmodum ex Augustino & Petricorio exempla in Antibarbaro produximus.

Hæc ex multis sufficiant. Non enim animus est omnia omnium auctorum singularia & rara proponere, sed quæ ex raris illis nostri sæculi vsu facta sunt vsitatis-
sima, non suffragante vetere Latinorum populo. Plura supersunt, sed a proposito nostro aliena. verbi causa, Solini *Repatriare*, de quo supra

supra diximus in Prolegomenis, quia nostro sæculo inusitatum est, iam prætermisimus.

Sunt etiam falsi idiotismi, cum id quod multis commune est, proprio artis vel scriptoris vocabulo habetur: vel librariorum culpa aliquid singulare obtruditur, quod tamen meliores libri ita exhibent, vt a legibus linguæ & scriptorum consensu nihil recedat. Vtriusque exemplum vnum sufficiat.

PENVLTIMVS in propriis artis Grammaticæ vulgo scribitur, sicut v. g. Priscianus lib. iii *Alia* (Diminutiua) inquit, *E habent in penultima primitiui naturaliter longa. Nec tamen Priscianus aut æquales Grammatici hanc vocem excogitarunt, sed aliquot ante sæculis A. Gellius iv, 7 de Valerio Probo scripsit: HANNIBALEM, HASDRYBALEM & HAMILCAREM ita pronuntiabat, vt penultimam circumfleteres.* Posteriore æuo Macrobia-

1 Somn. Scip. II, 4 *propter angustias, quibus penultimus orbis (cœli) artatur, impetu leuiore conuertitur.* Et Hieronymus Epist. LXXXII in *penultimis Prophetæ (Ezechielis) partibus, in quibus Gog & Magog bella narrantur.* Non ergo erat, quod Lexicorum, scriptores hanc vocem posthaberent, aut ad solos Grammaticos remitterent. Quanquam nimis extollere antiquitatem huius vocis nolo. Nec Compos. *Antepenultimus* veteribus Grammaticis ignotum fuit. Cassiodorus de Orthogr. c. VI si in *antepenultima sede longa incidit syllaba.*

ATTINET cum simplici Accusatiuo vulgus doctorum componit. v. g. *Quod me attinet* &c. Latini *AD* interserunt, n. m. *Quod ad me attinet* &c. Fuit aliquando, cum putarem, Valerii Maximi idiotismum esse, quod lib. I c. I n. 14 legebam, *que custodiam religionis attinent.* Atque ita pleræque editiones nostri temporis habent, etiam

RARA ET SINGVLARIA. 195
 etiam splendida Antonii Thyfii
 cum variorum adnotationibus, &
 Petri Ios. Cantelii, in vsum Gallia-
 rum Delphini adornata. Sed adeo
 non est ~~id est~~ Valerii dicendi genus,
 vt, si ex vsu classicorum auctorum
 iudicandum est, vix a solæcismo
 abesse existimem. Nam veteres
 libri omnes, etiam Pighii, habent
AD custodiam, & ita nuper quoque
 Cl. Vorstius edidit, atque in Notis
 adfirmavit, se voculam *AD* etiam
 in MSS. Brandenburg. inuenisse.
 Quapropter a formula, *was anlan-
 get/ per Attinet*, reddenda, existimo
AD abesse non posse. Cicero Epist.
 1, 2 *Quod ad popularem rationem at-
 tinet*. Ad Attic. v, 17 *quod ad absti-
 nentiam attinet*.

Falsis idiotismorum exemplis
 addo vnum *Dubium*, quod est
 NVNCIVM Neutro Genere ex-
 pressum, quod inculcauerunt Ser-
 uius ad Æn. vi v. 456 xi v. 897 &
 Isidorus Orig. lib. x in voce *Nun-
 tius*. His opponi potest Nonius

Marcellus, pariter vetus Grammaticus, qui de Indiscr. Gener. NUNCIVS, inquit, Generis masculini: neutro apud aliquos non recepte auctoritatis lectum est, sed doctos. At vero in Stephani Thesauro Catullus & Tibullus citantur, poetæ auctoritatis satis receptæ. Nihil est, quod ex his pro Servio speremus. Tibullus fane adducitur frustra. Nam III Eleg. IV scripsit:

*Diui vera monent; ventura nuncia
sortis*

*Vera monent Tuscis exta probatæ
viris.*

Quis non videt, *nuncia* Adiectivum esse, & cum *exta* cohærere? Speciosius videtur testimonium Catulli ex Epigr. LXIV v. 76

*Geminas Deorum ad aures nova
nuncia referens.*

Ita edidit, quem amplitudinis causa nomino, Io. Georgius Græuius. Sed edidit simul Commentarios Scaligeri & Mureti, quorum ille corruptum versiculum vocat &
nun.

nuncia in *nunciat* conuertit; hic plane adulterinum suspicatur, & de controuerso verbo addit: *NOVA NVNCIA* neque omnino Latine dici *puto*. Quod si verum est, ex dubio Catulli idiotismo plane falsus fiet, nec Scioppii (ad Sanctii Mineruam p. 339) elliptica ratio, qua *verbum* vel *dictum* subaudit, rem conficiet. Quamuis enim Virili Genere in *Nuncius* intelligitur *homo* vel *sermo*, atque ita etiam possit Neutrum ad *verbum* referri, sicut Ouidius Heroid. xvi v. 10 dixit,

... *habes animi nuncia verba meit*
tamen non de eo, quod posset dici, sed quod dictum a classicis scriptoribus, probato exemplo monstrari potest, nunc vnice disputatur. Fac vero & sponde, Catullum ita scripsisse; nihil tamen afferes, quam *ιδιωτικόν*, propriam & singularem dicendi rationem, non temere imitandam. Nam, vt Prosper Aquitanicus lib. iii extremo de Vit. Contempl. tradit, *ea est iudicata Latini-*

tas, qua breuiter & aperte, obseruata duntaxat VISITATORVM verborum proprietate res intelligendas enunciat. Operosus est vir Nobilissimus Ol. Borrichius, vt Nonii Marcelli, Scaligeri, Mureti, ad quos prouocaueram, iudicia euertat, contra quos Senecam, Plinium, Lucretium, Plautum, Liuium, Sedulium aduocat. Liceat nobis pace tanti viri proferre libere, quæ de singulis sentiamus. Quo minus Senecæ iii. de Ira c. 10 *procellarum sunt quædam prænuncia*; & Plinii ii, 27 *hæc malorum fuisse prænuncia*, & c. 84 *vt futuri euentus id prænuncium esset*; quo minus, inquam, hæc adiectiue exponi possint, non video, quid obftet. Sensus enim est res prænunciæ procellarum, malorum &c. Et *prænuncium* subst. nec Lexica habent, nec vulgaris vsus æque, ac simplex *nuncium*, recepit. In Lucretio lib. iv v. 705 *si nuncia substantium* esset, legi oporteret, non *decurrit*, sed *decurrunt*, quod contra Lam. binum,

blinum, Gifanium, Parzum est, qui
nuncia, vt adiectam vocem, cum
plaga construunt. In Plauti Merc.
 a. v sc. ii Parzus quidem legit *ob*
istuc nuncium Pal. MS. nixus; cete-
 ri omnes, Camerarius, Sambucus,
 Lambinus, Taubmannus viriliter
ob istunc nuncium. Liu. iv, 41 noster
 est. Mendosa quidem Francfur-
 tensis editio sub Gruteri nomine,
triste nuncium adfert: at veteres &
 nouæ aliæ, vt Aldi minor 1518, ma-
 ior 1520, Moguntina 1518, Frobe-
 niana 1535, Gryphiana 1542, & re-
 cens Gronouiana *tristem nuncium*.
 Seduliam, ne nihil dedisse videa-
 mur, largimur, cuius verò *grandia*
nuncia, quibus Herodem pertur-
 batum scribit, nihil præiudicant an-
 tiquiorum elegantiss. Sed hæc
 pro ingenua libertate, quæ in hisce
 studiis nemini negata sit oportet,
 dixisse iam sufficiat. Ipse lauda-
 tissimus vir, qui contra nos venit,
 a nobis parum dissidet. Nam clau-
 dit hanc disputationem p. 45. his

verbis: *Hæc ita disputata non efficiunt, quo minus NUNCIVS subst. masc. genere frequentius usurpetur.* Neque nos aliud pugnavimus, quam si vera neutrius generis exempla inveniuntur, (quam pauca sint, ex dictis apparet) in raris & singularibus scribi oportere.

CAPVT VI

DE

Latinitate Cadente.

ABBREVIARE. Vegetius Prologo lib. III *Per diuersos auctores librosque dispersa, Imperator iniuncte, mediocritatem meam abbreviare iussisti.*

AEQVANIMITER. Ammianus XIX, 21 *aquamitter venturam operiens sortem.* Macrobius Saturnal. II, 4 *aquamitter aliqua etiam iocis mordaciorum pertulit.* Adde Symmachum Epist. IV, 10

ALBEDO. Sulp. Seuerus Hist.

I, 16

1, 16 de Manna: *in modum coriandri seminis glaciali albedine erat.* Apuleii exemplum Apolog. est suspectum, quia pro *pernitiosa albedo* meliores libri *dulcedo* exhibent. Plautus *Albirudo* dixit Trinum. act. iv sc. ii v. 32 *albor oui* Scrib. Largus Comp. xxiv & Palladius xi, 14 *Etiā Color albus* circumscribit idem Palladius c. 1.

ALIQUANTI Plural. pro *Aliquot.* Barthius Aduersar. lib. xxv, 12 *Voce ALIQUANTA, hoc est, ALIQUOT, cadens Latinitas est vsa, licet de numero non paruo sepius.* Exempla in Indice Eutropiano dixi. Nunc addo noua. Palladius i c. 19 *aliquantis diebus.* Vegetius ii c. 3 *morbo aliquantos debilitari:* & iii, 13 *aliquantæ nationes:* Agræcius Orthogr. p. 2173 *Queritur ab aliquantibus.* Singularis Num. *Aliquantum* antiquæ fidei est. Cic. i Epist. vii *aliquantum laudis.* Liuius ii, 16 *aliquantum virium,* & iv, 26 *aliquantum Romæ iuuentutis morbo absum-*

tum est. Plinius Epist. x, 112 *ante aliquantum temporis.* Masculino *timor aliquantus*, Salustius Iugurth. c. 105 & *aliquanto numero*, ibidem c. 74 dixit: & Palladius iv, 10 *aliquantus cinis.*

ANGVRIARE, hoc est, *cogere.* Vlpianus Lege Viæ sternendæ, Dig. *naues eorum angariari posse*; addo Hieronymum in Matthæi xxvii

AVRARIi Seruio in Æn. vi v. 817 sunt *fauitores.* add. Glossam, quam Car. du Fresne citat, & Salmasium ad Vopisci Aurelian. c. 48 extr. Equidem ignoro, quis veterum hac voce vsus fuerit.

BREVIATOR. Orosius i c. 8 *Pompeii breuiator Iustinus.* Verbo *Breuiare* vsus quidem semel, iterum Quintilianus, verbi gratia lib. v, 13 *callide quid tacuisse, breuiasse, obscurasse, distulisse dicuntur.* Ceteri qui vtuntur, plerique sunt posteriores. Vegetius iii, 9 Lactantius vii, 16 Orosius i, 12 Iuuenicus in Matth. xxiv, Sulp. Seuerus Hist. i, i
Ta-

Tamen etiam Manilius habet in
Astron. v. 461

*Ex illa totidem per partes sic bre-
uiantur.*

BREVIS Substantiue pro libello
breui, Register/ (Salmasius enim &
Gruterus ad Vopisci Aurel. cap. 36
Virile Genus in MSS. exstare te-
stantur, non Neutrum *Breue*) Lam-
pridius Alex. c. 21 *militēs suos sic
ubique sciuit, ut in cubiculo suo habe-
ret breues, & numerum, & tempora
militantium.* Vopiscus c. 1 *Breuem
nominum conscripsit.* Hieronymus
Epist. vi ad Florentium, *libros, quos
me non habere, brevis subditus edo-
cebit.* Adde Sex. Ruf. c. 1

CALCVLARE. Antiquius fuis-
se verbum, quam ut huc ponatur,
nomen *Calculator*, quo Martialis
Epigram. x, 62 vsus est, argumen-
to sit. Iam vero ex vsu metimur
verba, & quia etiam cadentis ser-
monis tempore perrarum hoc
ipsum est, in digniorem locum
euehere non possumus. Sidonius

in concione, quæ epistolæ ix lib. vii subnectitur, *diuturnitatem pro meritis autumant calculandum.*

CAVTELA. Pomponius Lege vi Dig. de pigneraticia act. *Prius idonea cautela a debitore pro indemnitate ei præstanda.*

CERTIORARE. Ulpianus Lege iv Dig. de Interrog. in iure: *ex interrogatione certioretur.* Glossæ Græcolat. *Φανερώνωαι, Certiorare.*

COELITVS. Vossius Lactantio tribuit & Hieronymo: loca non definit. Vtriusque ostendo aliquem. Lactantius iv, 2 *Statuerat Deus, appropinquante ultimo tempore, Ducem magnum cœlitus mittere.* Hieronymus Vita Pauli Eremitæ post princip. de iuvene voluptatis victore: *cœlitus inspiratus, præcisam morsu linguam in osculantis se faciem exspuit.* Præter hos Cyprianus Epist. ii c. 2 *cœlitus spiritu hausto.* Marcellinus xxii, 22 *ignis cœlitus lapsus.* Orosius vii, 35 de Theodosii

dosii victoria miranda: *cœlitu iudicatum est inter partem, etiam sine presidio hominum de solo Deo humiliter sperantem; & partem arrogantissime de viribus suis & de idolis præsumentem.* Prudentius in Romano v. 430

Capiant & ipsum cœlitus Paraclitum.

Antiquiores non suppetunt.

CONGRVVS. Apuleius Metamorph. vi Iam faxo nuptias non impares, sed legitimas & iure civili congruas: & vii ineunte, congruo cunctæ multitudinis consensu. Etiam Palladius habet i, 12 xi, 14 & xii, 13 Compositum vero Incongruus eiusdem Apuleii est lib. iii de Hab. Doctr. Plat. & Vegetii ii, 19 etiam Symmachi Ep. iv, 8 Aduerbium Congruè Solini c. 1 (al. 7) vbi Salmasius congruè scil. exsequiæ. Incongruè Augustini ad Hieronymum (inter Epistolas Hieron. 87.) & Casiodori Præfat. extrem. Aliter veteres. Cicero Congruens & Congruenter:

ter: Plin. Epist. iv, 9 *Incongruent*. Tertullianus dixit etiam *Incongruenter*, de Baptismo c. 19 sed sine applausu doctorum.

CONSTELLATIO, Firmici i Astrol. c. 1 Capitolini in Gordian. c. 20, Ammiani xix, 17 & Sidonii viii Epist. 7 de hoc verbo testimonia in Antibarbaro produxi: etiam quid Ciceronis ætas pro hac voce posuerit, ostendi. Nunc addo, in Tironis Notis p. 177 eandem legi, quanquam, si Tironis illæ sunt, incertum est, ab auctore hæc vox, an interpolatore sit.

CVPRVM. Apud antiquiorem, quam Spartianum vix reperitur. Is autem Caracallæ Vita cap. 9 *ex are*, inquit, *vel cupro cancelli superpositi*. Plinius xxiii, 3 *vas Cyprium*. Sic Harduinus: at Froben. *cupreum*, *præue*. Idem xxxiii, 5 *as Cyprium* dixit, & xxxvi, 16 absolute *Cyprium*. Trebellius Pollio Vita Claudii c. 14 *acus Cypria*, ad quem vide Salmasium. Hieronymus Vita Hilarion.

fion. *Figura sculpta in aris Cyprii lamina.*

DEVIARE. Ammianus xxii, 25 *ab equitatis recto tramite deuiasse.* Macrobius i Somn. Scip. c. 22 *si a medio deuiauerit.* Hieronymus Epist. lxxxix cap. 4 *a recta linea deuiare.* Ausonius Profess. v v. 37 *deuiantes filie.* Symmachus Epist. ix, 131 *a quorum [Principum] definitione non decet deuiari.*

DIGNANTER. Vopiscus in Tacito cap. 8 *loquentem dignanter audite.* Symmachus lib. v Epist. 65 *Quæso, ut humanitatem, qua inter virtutes tuas prima est, nostri Ordinis editoribus dignanter impertias.* Hieronymus ad Pammach. Epist. xxvi c. 6 *inopum cellulas dignanter introcas.* Sidon. Apollinaris Epist. iv, 7 *dignanter admissas.*

DUBIETAS. Eutropius vi, 16, 2 *cum sine dubietate aliqui deferrent.* Marcellinus lib. xx, 6 *absentia magistri equitum faciente dubietatem.* Et in pluratiuo *Dubietates* idem lib.

xxv

xxv c. 34 Etiam Claudianus *Ma-*
mertus lib. i, ii non nisi ab ignomina
proficitur dubietas arbitrantis.

EDECUMATVS. Macrobius
 Saturn. ii. c. i *ut iocos veterum at*
nobilium virorum edecumatos ex mul-
tiugis libris relatione mutua profera-
mus. Symmachus lib. iii Epist. 49
amicitia mea viros edecumata bone-
statis adiungis. Ipsum Verbum *Ede-*
cumare eiusdem Symmachi est v
 epist. 83 & vii, 48

EFFIGIARE. Minucius Felix
 in Octauio p. 15 *lapides effigiati.* Ad-
 de exempla ab Elmenhorstio ibi
 adducta: & Apulei. Flor. princip.
truncus dolamine effigiatus. Pruden-
 tius Cathem. x v. 4

Hominem, Pater, effigiasti.
 & Peristeph. Hippolyti v. 126

Effigians tracti membra cruenta
viri.

EXHIBITOR. *Exhibitor littera-*
rum, quæ vulgaris vox est, non vi-
 detur latine dici. *Exhibitor ludorum*
 Arnobii est lib. vii p. 247 *De yegu-*
ma

ματῶν Symmachus Epist. v, 30
 ita: *perlator harum litterarum: &*
iv, 64 peruektor tuorum apicum. Sed
 ita veteres etiam locutos esse, sub-
 dubito. Cicero enim Fam Ep. xiii, 6
extr. qui tibi has litteras reddidit: &
sic quoque alii.

EXORBITARE. Lexicographi
 vnico testimonio Augustini con-
 tenti sunt Civ. Dei ix c. 3 *quod ex-*
orbitet ab itinere sapientia & lege,
iustitia. Addo antiquiorem Tet-
 tullianum, qui Apolog. c. 20 ait,
elementorum munia exorbitant, & adv.
Marcion. iii, 2 exorbitare a regula.
 Et ex Constantini xuo Firmicum
 de Errore Prof. Relig. p. 16 *a salu-*
taribus tuis legibus exorbitat. Porro
 Sidonium Epist. v, 16 viii, 11 &c.

FERIARI. Adiectivum vel Par-
 ticipium *Feriatu*s probum esse, su-
 pra demonstraui. Verbum
*Feriar*i dubito, an antiquior ha-
 beat, quam Macrobius, non anti-
 quisimus, & Sidonius Apollina-
 ris, quorum verba cit, loco produ-
 ximus. FI.

FIGMENTVM vid. supra in
Restitutis Sæculo Æneo.

FVLGIDVS. Et hic Lexicogra-
phis sunt feriz. In Antibarbaro
putabam Poetarum proprium: non
ita est. Nam etiam Lampridius
Alexand. c. 13 *sol fulgido ambitu co-
ronatus*: Solinus c. 50 [al. 37] *ad spe-
ciem fulgidi sideris*. Arnob. II p. 84
fulgida claritas. Ex Poetis addo lu-
uencum de sepultura Christi,

---- *corpus fulgida lino*

Texta tegunt. . . .

& Prudent. Cathem. I v. 9

Post solis ortum fulgidi.

Lucretii exemplum III v. 364 in an-
tiquitatis ponitur, nec vocabulum
ex classe Latinitatis cadentis potest
liberare.

GRATANTER. Capitolinus in
Macrino c. 7 *mortem Antonini S.*
natus gratanter accepit. Trebellius
Pollio in Gallien. cap. 12 *Senatus, &*
urbs, & omnis ætas gratanter accepit.
Ammianus XVII, 26 *offerre obsides,*
gratanter amplexi sunt.

HA.

HABITACVLVM. Nondum vidi, qui ante Hadriani aut Antoninorum tempora hoc verbo vsus fuerit. Antiquissimus, quem cognitum habeo, est Palladius, qui lib. 1 c. 23 dixit *habitationum*. Aequalis fere Gellius lib. v, 14 *Postquam introgressus leo in habitaculum illud suum.* Post hos Tertullianus Resurr. Carn. c. 19 *mortuorum habitaculum.* Solinus cap. 1 *pars infima Capitolini montis, habitaculum Carmentis fuit.* Cyprianus de Disciplina & habitu Virg. c. 18 *Melioris habitaculi hospitium* [Christus Ioh. xiv, 2] *demonstrat.* Arnobius vi p. 203 *Deos habitacula inire terrena.* Lactantius de Ira Dei cap. 10 *Quero antequam mundum primordia ista generarent, cur sibi Dii habitaculum non edificauerint.* Sequiores, Ammianum, Macrobius, Hieronymus, Orosius, Prudentius, nihil nunc attinet in partes aduocare.

HISTORIOGRAPHVS vid. supra in repositis saeculo 2^o neo.

HOR.

HORTVLANVS antiquissimum non esse ex scriptoribus rusticæ elucet, qui rem sapissime attingunt, nomine ne semel quidem vti sunt, quod demum Apuleio lib. ix & x, & Macrobio vii, 3 debemus.

IMPOSSIBILIS. Licet Quintilianus etiam lib. v, 13 *impossibilia adgredi* dixerit: tamen quod ceteri omnes, qui hoc verbum sibi vindicant, sunt posterioris ævi, in eorum classem & ætatem retuli. Apuleius Asclep. *corpora impossibile est conformari sine nutu diuino.* Minucius Felix in Octauio, *Plato Deum in publicum dicere impossibile præfatur.* Arnobius lib. ii *Quod impossibile nobis est factu, illi (Deo) possibile.* Ammianus xiv, 32 *cum id impossibile videretur.* Prudentius Apotheos. v. 901 [Heins. 837]

*Est impossibile, spectare profunda
Sabaotb.*

Alia exempla dedi in Antibarbaro.
Ex quibus apparet, potius cadentis,

tis, quam inclinatae Latinitatis vocabulum esse.

* *Impossibilitas* est Apuleii lib. vi,
& Tertulliani de Baptismo c. 2

INCAPAX. Prudentius in Romano v. 587

*Scio incapacem te sacramenti, im-
pie.*

Hieronymus Epist. lxx c. 1 ad Aui-
dum hanc Origenis sententiam
ex *ὁ δὲ δεξιὸν* libris excerpfit: *diabo-
lum non incapacem esse virtutis.* Paul-
linus Epist. xxix ad Seuer. n. 13
*tugurium nostrum sanctis non incapa-
ces angustias praeiuit.*

INCENTIVVM substantivum
Lexica quaedam Plinio panegyristae
tribuunt, sed falso. Non enim Pli-
nius, sed auctor Panegyrici Con-
stantino dicti cap. 1 *Spartanas tibi-
as incentivum aliquod habuisse* tradit.
Hieronymus Epist. ii ad Nepotian.
incentiva vitiorum: Epist. x ad Fu-
riam, *incentiva voluptatum.* Sym-
machus Epist. v, 89 *si me incentivo
quodam mutui sermonis animaveris.*
Am-

Ammianus XVI, 1 *cuius acerbitati
uxor graue accesserat incentiuum.*
Prudentius Apotheos, v. 932

.... *simul ipsa sodali*

Est incentiuum peccaminis.

Adiectiuum vero oppido antiquum est. Varro R. R. lib. 1 c. 2 *tibia incentiua.*

INCOLATVS. De hac voce abiecte Vossius, licet fateatur in Digestis reperiri. Modestini est Legge 34 Dig. Ad municipalem, *incolatui renuntiare.* Verum nec antiquiora testimonia desunt. Inscriptio ex Hadriani sæculo apud Reinesium Class. VII n. 32 OMNIA CIVITATVM COMMERCIA, OMNIA PER OPPIDA INCOLATVM EVITANT. Et alia apud Gruter. p. 432 n. 7 EX INCOLATV. Tertullianus, Vlpiano æqualis, de Resurr. Carn. c. 46 *Caro sancta per incolatum Spiritus Sancti: & de corona mil. c. 13 Ab ipso incolatu Babylonis illius in Apocalypsi submouemur.* Diocletianus
tan-

tandem & Maximianus lege v Cod.
de Incolis & vbi quis domicilium:

*Si in patria uxoris tue domicilium
defixisti, incolatus iure ultro te eius-
dem ciuitatis muneribus obligasti.*

INCONGRVVS vide supra in
Congruus.

INCORAM pro *Coram* Apule-
ius sæpe. Lib. vii p. 197 *incoram*,
omnium, ἀρχαῖς ὧς. Eadem lib. ix,
vbi etiam p. 223 est *incoram sui*.
Symmachus x Epist. vii *Quando
præiperes, quod incoram positus im-
probasti?*

INCUNCTANTER. Adferun-
tur Catonis verba ex Originibus,
*hostes incunctanter suas copias eduxis-
se*, apud Aurel. Victorem de Orig.
Gentis R. Verum propter obli-
quam Victoris orationem incer-
tum est, suis illam sententiam ver-
bis, an Catonianis expresserit. Ce-
teri vero, qui hoc aduerbio vsi
sunt, omnes inferioris ætatis sunt.
e. g. Vlpianus Lege xx Dig. de
*manumissis vindicta, incunctanter
debet*

debet ei permitti. Lactantius vi, 12 incunctanter & fortiter subire mortem, Symmachus Epist. iii, 67 incunctanter eveniet. Paullus Orosius vii, 34 Alanos, Hunnos & Gothos incunctanter adgressus (Theodosius) magnis multisque præliis vicit. Seuerus 1 Dial. c. 13 sanctus ille incunctanter accessit. At Cunctanter antiquum, Liuii nempe i, 36 x, 10 &c.

INDESINENTER. Varro habet ii de Re R. cap. 9 extr. Varro nis locum Scioppius in Famian, p. 3 vocat *mendosum* : & Borrichius in Scioppium p. 285, *iusta*, inquit, *suspicio est, corruptum esse hunc Varronis locum. Neque enim verborum sensus, aut mens Varronis vocem eam admittere posse videtur, quod probe iam olim Petro Victorio observatum est. Ergo deserta Varronis auctoritate, huic Aduerbio non nisi minorum gentium dñi præfidii sunt. Cyprianus Epist. lxi n. 8 p. 9 & immaculato ore sacrificia & in persecutione*

cutione pariter, & in pace indefinenter offero. Hieronymus Epist. cxvii extr. obtreſtatione me indefinenter amuli laniant. Oroſius vi, 16 quatuor annis ciuile bellum indefinenter toto orbe tonuit. Vegetius i, 26 Nihil magis prodeſſe conſtat in pugna, quam ut aſſiduo exercitio milites in acie diſpoſitos ordines indefinenter obſeruent.

INDIGITARE. Vetus verbum, ut ex Varronis fragmento apud Nonium voce *Numerum* conſtat. Sed uſi ſunt illo frequentius. verbi gratia, Macrobius Saturn. i. c. 17 de Apollinis nominibus, *Virgines Veſtales ita indigitant: Apollo Medice, Apollo Paan.* De ſignificatione liſ eſt. Voſſius interpretatur *inuocant*, cui accinit Varro c. 1 *quam deam ſolent indigitare etiam pontifices;* & Feſtus, aut potius Paullus Diaconus, de Verbor. ſignif. *indigitando exponens imprecando: & indigitamenta, incantationes.* Contra Berrichio videtur Macrobianum verbum per *appellanti*

K

lant

*lant explicandum, quia Tertullianus de Ieiunio cap. 16 dicat, precem indignant, hostiam instaurant, quod inepte exposueris, inuocant, precem; scite, indicunt. Aliis videtur fuisse Pontificale verbum, sicut Seruio ad Georg. I v. 21 indigentamenta sunt libri Pontificales. Ergo notio pro indicare & quasi digito ostendere, non est certissimæ Latinitatis. Nec de origine constat, quam alii *Digitus*, alii *Indigetes* statuunt, & propterea *indigetare* per E scribi malunt.*

INFLVXVS. • Vorstius ex sola analogia Propriam significationem defendit c. 14 Lat. Suspectæ: in sensu Astronomico laudat Iulium Firmicum, qui Astrologorum causam suscipere possit. Nam lib. I c. 1 *si temperantia, inquit, fortitudo, prudentia, iustitia stellarum decretis, non nostris tribuuntur voluntatibus: iam non ex assidua virtutum lucubratione, sed ex solis stellarum influxibus pendeamus, Et lib. IV, 13 extr. idem,*
talis

talis siderationis influxu. Non ab-
ludit Macrobij *influxio* Somn. Scip.
1, 12

INSENSIBILIS. Gellius Argen-
teæ ætati proximus xvii, 10 dixit
*inenarrabile, & propemodum insensi-
bile.* Posteriores frequentius eo vsi
sunt. Lactantius, vi, 13 *Actiue,*
deorum simulacra insensibilia. & Fir-
micus Err. Prof. Rel. p. 46 *insensi-
bile saxum.* Præterea Alcimus Aui-
tus lib. v. v. 71

INSIPIDVS. Perrara vox apud
veteres. Lexica citant eundem
Gellium vi, 1 sed male. Correctis-
simi enim libri omnes hodie *in-
subidius* habent pro *Insipidius.* At-
tamen Iul. Firmicus Astrol. ii, 12
scripsit, *Significat saporem salsum
& insipidum.* Et Paullinus Nola-
nus Epist. xxxix [al. 30] n. 4 *ul-
tra betam incoctam insipidi.*

* *Simplici Sapidus,* de quo supra
dictum est: nouam significa-
tionem imposuerunt poste-
riores, nempe *sapientia.* Alci-

mus Auitus ad Sororem v. 457
de parabola Matth. xxv

*Tandem sponsus adest, nocturnus cor-
pore torpor*

*Abscedat, sapida raptim properate
puelle.*

INTIMARE notat *intimum facere*, atque ita Solinus c. 4 vsus est, *Nilus cum mari intimatur*: & Ammianus de Rheno xv, 6 *Oceani gurgitibus intimatur*. Deinde signat *ἰννοῦν*, indicare. Cyprianus Epist. xlii, 2 Vopiscus in Tacito c. 12 Spartianus in Iuliano c. 2 Symmachus Ep. x, 40 & alii id ætatis, Fabritius ad Prudentii Romanum citat etiam Liuium, sed deceptus fuit editione Moguntina Jo. Scherferi 1519, quæ lib. iv c. 46 *intimasse filio* habet, pro quo Aldus, huic æqualis, vtraque editione 1518 & 1529, & Frobenius 1539, & Gryphius 1542, & nostro sæculo Gruterus ac Gronovius *institisse* ediderunt. Deriuata sunt *Intimator* Capitolini in Pertinacæ c. 10, & *Intimatio* Mart.

Mart. Capellæ lib. ix post principium.

INVASOR. Aurel. Victoris Epitome in Aureliano: *Romanum orbem triennio ab invasoribus receptavit.* Aurel. Symmachus libr. ix Epist. 123 *Cura sint reliquia rerum tuarum, quas facinorosus invasor exhaustas & laceras reliquit.*

IURAMENTVM. Ammianus sæpe. lib. xxi, 9 *iuramento, quæso, concordiam spondete mansuram.* xxiv, 2 *iuramenti illeæti.* Sulp. Severus Hist. i, 8 *Puteus iuramenti:* ita Berseba, loci nomen, interpretatur. Hieronymus Quæst. in i Paralip. iv, *iuramentum quod iuravit (Deus) ad Abraham.* Et Augustinus Serm. i Fer. ii Pentecost. *negauerunt cum iuramento.* Senecæ & Vlpiani auctoritatem, ad quam in Thesauro Stephani siue Foro Rom. prouocatur, falsam aut suspectam esse, in renouato Antibarbaro probauimus.

MATRICVLA tabulas signifi-

K 3

cat,

rat, in quibus nomina scripta erant, præsertim militum. Vegetius 1, 26 *Producendi tirones sunt semper ad campum, & secundum matricula ordinem in aciem dirigendi.* Hinc in Cod. Lege xvi de testam. militis, leguntur *matricula militares.* Ad alia quoque extra militiam hæc dictio accommodata fuit. Lege xiii Cod. de Aduoc. dia. iudiciorum, *fori matricula* inuenitur. Non autem antiquissimum verbum esse, etiam Stewegius ad c. 1 Vegetii agnoscit. *Pro Matricula*, inquit, *Latinissimi dixerunt fere Album.*

MEDIETAS. Cicero non audet dicere, de Vniuers. c. 7 Aufi tamen sunt Palladius 1, 12 Apuleius de Deo Socr. & de Mundo: Eutropius ii extrem. Ammianus xxii, 18 & alibi. Macrobius S. Scip. 1, 6 Sic Hieronymus Epist. xxvi c. 5 *Zaccheus diuisit pauperibus medieta- tem substantia sua.*

* *Medie* pro *Mediocriter*, Eutrop.

vii, 8 & Iul. Firmicus ii, 28

ME-

MELIORARE, Lege 13 ff. de
vsufr. § 5 siquidem ei permittitur me-
liorare proprietatem. Ambrosius
 Epist xxxii *meliorata respublica.*

MINORARE. Tertull. de Ani-
 ma c. 43 *Perit anima, si minoratur.*
 Particip. *Minoratus*, est in Digest.
 1, 10 de seruis export. *quos minora-*
to pretio vendidit.

MOLESTARE. Barthius ad
 Brit. p. 580 de hoc verbo, *Non est il-*
latini vsus, quamuis sequioribus seculis
vsitatus. Exstat in Lege xx Dig.
 de liberatione legata, *Neminem mo-*
lestari volo nomine debiti. & in Fragm.
 Petronii, ad quod vide de hoc ipso
 verbo notata Hadr. Valesio & Io.
 Scheffero. Ipse quoque Scribon.
 Largus vsus est Compos. Lxxi, sed
 forsan vt plebeio sui temporis. Ne-
 mo enim eiusdem ætatis id facile
 suum fecit.

MOMENTANEVS. Antiquis-
 simus, qui vsus fuit, Tertullianus
 est, quantum cognitum habemus.
 Hic de Refurr. Carn. c. 42 dixit,

in momentaneo motu oculi: & adu. Iudæos cap. 9 momentaneus ardor. Fulgentius II Mythol. c. 17 momentanea felicitas.

NEOTERICVS raro inuenitur. Aurel. Victor exordio Orig. Gentis Romanæ: *ut quisque neotericorum asseueravit.* Claudianus Mamertus I c. 3 *neotericus scriptor.* De Aduerbio *Neoterice* dictum supra in Raris & Singularibus.

NIGREDO. Supra in Restitutis notaueram, qui hac voce vfi fuerint. Pro ea Pacuuius apud Cic. I Diuin. c. 14 & Celsus II, 1 *Nigror* dixerunt. Et idem Celsus VI, 18 VIII, 2 *Nigrities*, sicut Plinius X, 36 *Nigritudo*.

OBTENEBRARE. Lactantius IV, 19 *Occidet sol meridie, & obtenebrabitur dies lucis.*

OBVIARE. Verbum Macrobii Scip. Somn. I, 6 & 12 Vegetii III, 6 Orosii IV extremo: Hieronymi Epist. VI Mamerti lib. I, 22 *Quod vero etiam Sallustium quædam Lexica*

xica ad fidem faciendam arcessunt, id falsum est, quia in Iugurth. c. 5 probatissimi libri habent, *obuiam-
itum est, non obuiatum.*

PASSIO. Non videtur primæ antiquitatis esse. Exstat in Eleg. III, v. 42, quæ Corn. Gallo tribuitur: & Palladius III, 31 *dysenterica passio.* Ecclesiasticis frequentior vox est. Prudentius Corona S. Vincentii v. 291

Pulcroque mortis exitu

Peracta est omnis passio.

Cod. Theod. Lege v de Spectaculis: *commemoratio Apostolica passionis, totius Christianitatis magistra, a cunctis celebratur.* Firmicus Astrol. II, 12 *geniculorum agritudines & passionēs.*

PERLATOR. Vide supra *Exhibitor* in hac ipsa Cadentis Latinitatis classe.

POPVLOSVS, vide supra in *Vindicatis ætati æneæ.*

POSSIBILE. Quintiliani ætate hæc dictio *dura* appellatio videbatur.

tur, vt ex lib. III c. 8 patet. Lactantius de Opif. Dei cap. 1 *nec verbo enarrare possibile est.*

* *Possibilitas*, Pallad. Rutil. III, 14
 Arnob. 1 pag. 25

PRAESENTARE. Aurel. Victor. Vir. illustr. c. 77 de Pompeio; & Panegyristam de laud. Maximiani & Constantini cap. 3 alio loco adduximus. Non autem hi soli sunt. Apuleius VI Metam. *Se se Iuno cum totius sui numinis augusta dignitate praesentat.* Hieronymus in principio Epist. LXII, *In typo praedictum, in ipso (Christo) postea praesentatum.* Cassiodorus VI, 14 *ignis soli praesentatus obscurus est.* Est etiam in Plinii XX, 19 *foliis speciem passerum praesentantibus*: sed in margine Edit. Belg. cum *Variorum*, Notis, adscriptum, *repraesentantibus*, vt suspicio sit variantis aut deprauatae scripturae: Harduinus utroque declinato, *praeantibus* edidit. Alter Plinii locus, quem Lexica iactant,

iactant, vt & Quintiliani, in Anti-barbaro amotus est.

PROFVNDITAS. Auētores huius dixi supra in Restitutis. Est autem merito suspecta vox, pro qua antiquiores *Profundum*, quasi Substantiuum, habent. *Profundum putei* Val. Max. ix, 6 exempl. ext. 2 *miseriarum*, idem ii, 10, 6 *profundo fontis immersus* Solinus cap. de Ægypto: *profundum terra*, idem de Cilicia: *profunda aquarum*, Gell. ii, 30 Etiam Epitheti, Substantiuorum more, patiens est. Seneca Suas. i *immobile profundum*, & Silius iv v. 246 *vasto profundo*.

PROTECTOR, generatim pro eo, qui defendit, dixit Tertullianus Apolog. cap. 6, *religiosisfimi legum & paternorum institutorum protectores & cultores*. Cyprianus Epist. ix c. 2 *protectorem fidei Christum*, appellat. κατ' ἐξοχήν in Historia Augusta συναγούλαξ & satelles est. Spartianus in Caracalla c. 5 *in scapham cum protectoribus descen-*

deret, vbi consulas Casaubonum ; & cap. 7 cum inter protectores suos, coniuratos cadis, ageret : Ammianus xiv 22 schola protectorum. Hieronymus Chron. Euseb. Caius (Caligula) a protectoribus suis occiditur. lisdem verbis Caii cædem scribunt Orosius vii, 5 & Iornandes de Regn. Success. cap. 68. Protectio eiusdem ætatis. Diuina protectio, Cyprian. Epist. x n. 3

REFRIGERIVM. Tertull. Ref.

Carn. c. 17 aliter anima non capiat passionem tormenti, seu refrigerii. Hieronymus Epist. iii, quæ Epitaphium Nepotiani est, Lazarus videtur in sinu Abraha locoque refrigerii. Orosius v, 15 pluuia (bello Iugurthino) sitientibus Romanis & aestuantibus refrigerium potumque præbuit. Add. Alcimus Auitus lib. iii v. 276 Veteres dixerunt Refrigeratio, Cicero Senect. c. 14 Columella xi, 1 Plinius xxxiv, 13

REPEDARE, id est, Redire, Reverti. Scio antiquissimum verbum

bum esse, quod Lucilio Nonius Marcellus; Pacuio Sex Pompeius Festus tribuit. Post diu in obsoletis positum reduxerunt cadentis Latinitatis scriptores. Ammianus xvii, 4 *repedauit ad sua*. xxiv, 17 *ad signa repedauit ocyus miles*. Iuuen-
cus in Matth. xxvi

Tunc ad discipulos repedat.

Impp. Honorius & Theodosius Lege xi Cod. de Cohortal. *repedare ad pristina sacramenta*. Marius Nizolius etiam Ciceronem auctorem laudat, sed falso. Nam de Leg. iii cap. 8 est in omnibus fere libris, etiam illo, cui Nizolianus Thesaurus accommodatus est, *Domum cum laude redeunto*, non vt Nizolius allegat, *domum cum laude repedandum*.

SOMNOLENTVS vide supra in Restitutis.

STRATA absolute pro *via*, praesertim regia, lapidibus munita & constrata. Eutropius ix. 9 num. 13 *interfectus est itineris medio, quod in-*

ter Constantinopolim & Heracleam,
est, strata veteris. Ad hunc locum
 annotaueram legem iv Cod. de
 priuileg. Dom. Aug. quâ *pontium*
stratarumque opera memorantur.
 Nunc addo Iuuenicum in Matth.
 xxi dicentem :

Tunc populi stratas pratexunt vesti-
bus omnes.

& mox in eiusdem Capitis para-
 phrasi :

rediensque in margine cernit
Strata tendentem diffusa umbracula
ficum.

SVBLIMARE, i. e. in altum,
 euehere, antiquissimum, Ennii
 apud Nonium; Catonis apud Fe-
 stum. Ex Augusteo & proximo
 æuo non vidi qui vsus fuerit, præ-
 ter Vitruuium, cuius lib. vi c. 9 sunt
granaria sublimata. In obsoletis
 itaque habitum fuit, quod Ianus
 Laurenbergius etiam in Antiqua-
 rio suo notauit. Reduxit casura
 Latinitas. Apuleius antiquato-
 rum studiosissimus principio Flo-
 rid.

rid. *Aquila se nubium tenuis altissime sublimavit*: & posteriores magno numero. Solinus de Ægypto c. 45 [Salmas. 32] Lactantius Epitom. c. 6 Mamertinus ad Iulian. c. 29 Ammianus xix, 1 Macrobius Saturn. 1, 24 Prudentius Apoth. v. 913 Cassiodorus 1, 3 Tandem Chymici vocabulum artis fecerunt.

SVMMITAS vide supra in Re-stitutis.

SVPPEDANEVM vide ibid.

TRIVMPHATOR vocabulum cadentis Latinitatis, saltem posteriori ætate vsitatus. Apuleius Apol. p. 285 *ille vir [Man. Curius] de Sabinis, deque Samnitibus, deque Pyrrho triumphator*. Cyprianus Epist. xxxiv n. 2 de Celerino martyre: *viotor, & permanentibus pœnis longæ colluctationis miraculo triumphator*. Frequens in inscriptionibus, sed xvi inferioris. Gruterus pag. 1023

DN. FL. IVL.

CONSTANTI VICTO-
RI AC TRIUMPHATORI

& p. 285 n. 3

IMP. CAES.

DN. FL. CL. IULIANO

P. F. VICTORI AC
TRIUMPHATORI.

& p. 287. n. 2

D Φ N Φ FL. ARCADIO
PIO FELICI VICTORI
AC TRIUMFATORI.

Sic p. 465 n. 8 Valentinianus & Valens, & p. 103 n. 5 iidem cum Gratiano TRIUMFATORES laudantur. Nummus Honorii apud Spanh. p. 81 TRIUMFATOR. GENT. BARBAR. Iac. Sponii Miscell. Erud. Antiq. p. 265 inscriptio, quasi sub Iulio Cæsare facta, in qua *triumphator* legitur, etiam alio nomine suspecta est.

VANE, Aduerbiū Vossio improbatum, saepe inculcat Tertullia-

nus.

nus. De Ref. Carn. c. 52 *si non figurate, satis vane.* & adv. Marc. i, 5 extr. *ambos vane colere.* De Pudicitia c. i *præcauendo vanissime, quibus parcunt:* & ad Nation. ii, 2 *vanissime.*

VNANIMITER. Testimonium Vopisci ex Vita Taciti c. iv produxi in Antibarbaro. Alios addo. Cyprianus de Vnitate Eccl. c. 9 extr. *Si, duo aut tres licet, collecti unanimiter orauerint.* Arnobius i p. 33 *cum possent vobiscum unanimiter viuere:* Orosius iv, 6 *unanimiter naues incendunt.*

VNIFORMIS. Apuleius Asclep. *Non omnium hominum uniformis est sensus.* Habent præterea Censorinus cap. viii Solinus c. i (al. 4) & c. **VNIFORMITAS** est Macrobiani vii, 5 Arnobii vii ineunte. Aduerbium **VNIFORMITER** eiusdem Arnobii ii p. 56 & 88 (Edit. Batav. c. Comentar. 1651)

Haftenus de singularibus vocabulis :

bulis : nunc de connexis & construetis pauca dicemus.

A CONSILIIS ALICVI, trita hodierno die dictio, suspecta merito fuit Aug. Buchnero & Io. Vorstio, vt in Antibarbaro nostro diximus. Veteribus familiare, *ab epistolis, a libellis, a rationibus &c.* ad quem modum *a consiliis* nostra ætate formatum est. Veteres secundum Casum addebant, *Claudii Augusti &c.* non tertium. Vid. Buchner ad Fabri Thesaur. col. 4 edit. nouiss. Vnam addo ex Grut. p. 482 n. 5

T. VALERIO CLEMENTI

AB EPISTVLIS AVGVSTOR.

Tamen etiam supereſt Datiui exemplum, ex sæculo Latinitatis lapsuræ. Vopiscus in Carino: *qui Diocletiano ab epistolis fuit.* Ita accuratissimi viri ediderunt, Fr. Sylburgius, Ianus Gruterus, Claud. Salmasius, & hos secuti Bataui, vt de scripturæ integritate minus sit, quod dubitemus.

BE-

BENEDICERE QVEM. Apuleius ad Asclepium, *benedicentes Deum* : & Ecclesiæ scriptores magno numero. Nec aliter Petronius *maledicere* in Satyrico construit : *maledic illam versibus.* & Arnobius II p. 74 *se omnes maledicerent.* Cl. Borrichio Anal. p. 59 videtur etiam in aureo sæculo per Tmesin, præsertim in conuiuali comprecatione, id vsitatum fuisse, ut apud Ouid. II Fast. v. 637 & Tibull. II Eleg. I v 31 nisi aliud forsan verbum inter *bene* ac *dicite* subaudiendum est, quod quantum casum postulet.

EX FRATRE NEPOS. Supra in Idiotismis Ouidium produximus ita fere loquentem. Poetæ, cui multum licet, id, si raro vtatur, donari potest. Sero irrepsit in prosam orationem. Hieronymus Chron. Euseb. num. 2330 de Licinio iuniorre seu cæsare : *Licinius adolescens, Licinii augusti filius, Constantini ex sorore nepos.* Eadem repetit Orosius VII, 28

IN-

INCUMBERE STUDIIS Valla
 Elegant. iii c. 44 notauit vt minus
 Latinum. Et sane hoc verbum cum
 Accusandi Casu & Præpositione IN
 vel AD, vt plurimum Cicero iungit.
verbi gratia, in eam curam & cogita-
tionem incumbere Epist. x, 3 *in rem-*
publ. Epist. 5 *in id studium* i Orat.
 c. 8 Nihilominus etiam Datuius
 suppetit apud posteriores. Vopiscus
 Vita Probi c. 23 *populus iste militan-*
tium, qui nunc bellis ciuilibus temp. *ve-*
xat, araret, studiis incumberet, eru-
diretur artibus, nauigaret. Cassio-
 dorus ii 15 *incumbere ergo talibus stu-*
diis. Immo longe his superior,
 quicumque est, auctor Dialogi de
 Orat. c. 3 *nouæ cogitationi toto pectore*
incumbere. & Plinius Epist. vii, 27
ceris & stilo incumbere. Sed phrasin
studiis, artibus incumbere nunc ven-
 tilamus, non ignari, alios Casus in
 alia materia elegantes apponi, vt
incumbere remis, Virg.

QUALIS QUALIS pro *Qualis-*
cunque. Vlpianus Lege ii § 1 de
 bono-

bonorum possessione secundum tabulas: *qualis qualis conditio sit.* & Lege III de Proxeneticis, *ministerium quale quale accommodauerunt.* Adde leg. XI §. 2 Dig. de diuort. & repud. & notata in Antibarbaro. Videtur tamen Vlpiani dictioni in aureo etiam æuo præsidium esse. Cicero sane Attico suo XII, 23 *Sed quanti quanti (liceant,) bene emitur, quod necesse est.*

VICE VERSA. Vfitatissimum scriptoribus ætatis posterioris: apud superiores inuenire nondum potui. Gellius XVI, 13 Apuleius Flor. lib. IV & de Syllog. Solinus cap. de Hominis genitura, & de Ægypto: Mamertinus Paneg. Iulian. cap. X Auctor Panegyrici Constantino M. dicti cap. X Ammianus XXVI extremo. Orosius VI, 3 Sulp. Seuerus vita Martini c. 2 Hieron. Epist. XXVII c. 3 Et hi omnes, si etiam has minutias mirari licet, Participium præponunt *versa vice, non vice versa.* Prudentius

tius metri caussa Coron. S. Laurentii v. 289 *inuerſa vice*. Sphalma autem eſſe puto, cum Plinii Panegy. cap. LXXX *vice verſa* editione, Bataua Variorum Notis illuſtrata, legitur: vbi *vice ſua* legunt Lipſius, Boxhornius, Iac. de la Baune, Buchnerus, & ceteri omnes, quos conſuluimus.

Tandem etiam *ſignificationes* Cadentis Latinitatis tempore immutatas paucis exemplis delibamus.

ABSQVE non tantum pro *Sine*, ſed etiam pro *Præter* hoc ſæculo poſitum inuenias. Symmachus Epift. II, 36 *absque paucis, qui me ſecuti ſunt*. Oroſius II, 16 LXXX *naues capte, absque his, que in conſlictu incenſæ demerſæque perierunt*.

APVD pro *In*, vide Indicem noſtrum Eutropianum. Iam alia appono. Oroſius VII, 40 *Apud Britannias Gratianus municeps eiſdem, inſula tyrannus creatur & occiditur*: Sextus Rufus c. 7 *legatis Romanorum apud Corinthum violatis, quod in vrbe*

vrbe factum esse ex historiis constat.

BELLVM pro *prælio* pessimo Latinitatis exemplo dici a Capitolino, Victore, Hieronymo, ad Sext. Rufum num. 88 cum Casaubono notauimus. At vero etiam Frontinus i Strateg. c. xii. 2 habet *commisso statim bello*, id est, prælio seu pugna. Sed supra diximus, sæpe plebeium esse Frontinum & ἰδιωτὶς οὐκ, ac minime comparandum cum Liuiio & Curtio, quorum ille ix, 19 *uno prælio victus Alexander, bello victus esset*: hic iv, 14 *bello vicerimus, si vincimus prælio*. Atque ita etiam Nonius distinguit de Differentia Verborum: *Bellum & Prælium hoc differunt, quod prælia partes sunt belli, hoc est, in bello congressiones.*

CONFIDENTIA vocabulum medium est Donato in Terenti Andr. act. v sc. iii vers. 5 quamuis bonæ notionis nullum exemplum adferat, & ipsum, cuius causa

sa commentatur, malæ sit. Seruius autem in *Æn.* I v. 132 *confidentia*, in malis est, atque in eo *fiducia* opponit: & sic ita fere semper veteres pro *audacia* & *impudentia*, adeo, ut Cicero *Tuscul.* III cap. VII sui id temporis *loquendi consuetudinem* dicat. Posteriores, cadente Latinitate in bonam sumunt partem. Treb. Pollio Valeriano c. 2 *Veniam honoris peto, cui vita impar est, impar est confidentia.* Cassiodorus lib. II epist. II *Celsos cursus, nisi confidentia magna, non appetit: dum generosi est animi optare quod summum est.*

CONFVNDI pro pudore affici sacris scriptoribus vñtatisimum. Latinis priscis est *misceri, perturbari*: sequioribus demum, *erubescere*. Apuleius lib. IX extremo: *confusus de impotentia deque inertia sua quidquam ad quenquam referre popularium.* hoc est, est, *erubescens* &c. Vult quidem notionem hanc ex Plinii I Epist. XXII extremam defensam Casp. Barthius ad Briton. p. 429 sed ut puto,

puto, fallitur vir nobilissimus, cum *confusio* nihil aliud videatur Plinio esse, quam animi perturbatio, ut etiam Stephanus adnotauerat. Celeberrimus Borrichius in Anal. p. 26 Liuium quoque xxx, 15 xxxv, 15 Senecam Clem. ii, 5 opponit, verum vterque, si non magis, æque tamen de perturbatione ac mentis *disiecta*, quam de pudore (licet sæpe coniungantur) intelligi potest. Ouidius Epist. xxi v. iii, quod *pudore* addit, contra nos non est.

DEPUTARE, Catoni R. R. c. 50 est *amputare*: Terentio & Ciceroni *censere*: postremæ ætatis scriptoribus *destinare*, Macrobius vii, 14 *ad deputatam sibi a natura sedem proprii sensus recurrunt*. Sulpicius Severus Hist. Sacr. i, 53 *turba exercendis colendisque agris deputata*. & ii, 7 *deputari leonibus est damnari ad bestias*.

DISSITVS antiquis est *dispersus*, *disseminatus*, ut ex Lucretii iii v. 144 & iv v. 886 probauimus in Anti-

L

bar-

barbaro. Primus, quod nouimus, Apuleius lib. x post principium, *longissime disfitas villulas dixit, pro procul remotas: & initio Floridorum, Homines neque longule disfitas, neque proxime asfitas possumus cernere. Tutius cum Cicerone pro Lege Man. c. 4. describes Apuleianam, notionem, quæ hodieque tritisima est, hoc modo: in locis disiunctissimis maximeque diuersis: & cap. 16 ex locis tam longinquis, tamque diuersis.*

DIVVS pro *sanctus, diuinus*, adiectiue. • Nam vel deus est, vel in deorum numerum relatus, & antiquitatis exempla *diua mater, diua Iuno, diui penates, diuus Traianus* & his paria per Appositionis figuram, vt *dea mater*, exponi possunt, nec facile exemplum reppereris in puriore sæculo, quod Barthii verbis in dedicatione Britonis **DIVAE ORIGINIS PRINCIPIS** consimile sit, pro quo malim cum Liuiio dicere 1, 15 *diuina originis*. Nam substantiua esse *diuus, diua*, vt *equus, equa*, epi-

epitheta argumento sunt, v. g. Val.
Flacc. i v. 138 *equorei diui*. Horat. i
od. iii *Diua potens Cypri*. Silius i
v. 119

--- *tum nigra triformi*

Hoslia mactatur diua.

At demum labante sæculo Pruden-
tius Psymphom. v. 76

--- *omnis iam diua caro est, qua
concepit illum:*

& Alc. Auitus lib. v v. 64

--- *diua vocis Anubem.*

Et auctor carm. de Pass. Christi,
qui Lactantius creditus aliquando
fuit, sed falso, v. 43

*Vndique diua pluens vinum super
ora cruorem,*

Hinc facile ad iudicandum est de
formulis *Diuus Paulus, Diuus Nico-
laus, Diuus Augustinus* & æqualibus,
in quas Georg. Cassander dedica-
tione Hymn. Eccles. acriter inue-
ctus est. Nam peruersa ait genti-
lium scriptorum imitatione susce-
ptas esse, sine exemplo Christianæ
antiquitatis, veteresque *sanctum,*

L 2

Petrum,

Petrum, beatum Cyprianum dixisse & similiter; nunquam autem diuum vel apostolum vel alium sanctorum appellasse, quia contra officium christianum fuisset, Diuum enim & Deum non magis distingui, quam oleam & oliuam, oleum & oliuum. Digna Cassandri verba, quæ integre legantur: hæc breuissime excerptimus.

HVMILIS, HVMILITAS. Vergens Latinitas est, cum pro virtute superbix opposita ponuntur. Spartianus Vita Iuliani cap. ix *Obiecta, est superbia, cum ille etiam in imperio fuerit humillimus.* Doctissimus Borrich. in eo est, ut ex Virgilio xii, 930 & ex Propertio iii Eleg. 17 idem, probet: sed utrobique videtur habitus in terram prostratorum significari. Addit Lucretii versum vi, 51
Efficiunt animos humiles formidine diuum:

at ne hic quidem certissime notatur virtus aliqua, sed terror & timor, ex fulgurum aliorumque, quæ
 supra

supra mortalium vires sunt, contemplatione ortus. In Analectis aduocantur Seneca de Ira II, 6 & Tacitus Hist. I, 52. Verum Annæi sensus ex verbis liquet. Dubitantes disputat, an virtus *humilis* & *magna* dici possit, hoc est, ut ipse explicat *extolli* & *deprimi*, & exempla addit, illius, cum recte factis lætatur: huius, cum irascitur peccatis. Non ergo virtute aliqua ornatum simpliciter *humilem* vocat, sed quærit an virtus fieri *humilis* possit, quod ibidem exemplo confutatio negat. Ad Taciti verba ita Freinsheimius, vti clarissimus, commentatur: *seueri rerum aestimatores Vitellii morem contemtissimo cuique adulandi accipiebant pro humilis & abiecti animi nota: sed fauentes id comitatem interpretabantur bonitatemque.* Adeo nulla heic virtus apparet, ut Oberti Gianii vocem Observ. LL p. 334, *Humilis semper* (si translate ab antiquis usurpatur) *in vitio est*, non parum stabilire videatur. Etiam Grotius

ad eundem Taciti locum : *Humilitas latine loquentibus (Christiani enim significationem mutarunt) nihil boni notat.*

IMPINGERE veteribus erat *infigere, iniicere*. Phædrus III Fab. vi *Æsopo quidam petulans lapidem impegerat. Plura Exempla Antibarbarus habet. Pro offendere tamen non est plane nouum, sed Minucius etiam Felix in Octauio cap. 3 dixit, in lapidem eum patiari impingere : & Hieronymus Epist. Cl. cap. 5 egredientes de portu, statim impegimus : & Epist. cxx impegi nouissime in Danielem, hoc est, mihi Ebraice scienti remora fuit & offendiculum Danielis situs Chaldaicus.*

INFRACTVS antiquis est *fractus* vel *valde fractus*, ut alio loco ostendimus. Postrema ætate pro *non fractus* positum inuenimus. Symmachus Epist. 1, 3 *Fractæ opes infractos animos repperunt : pro se quisque operam boni ciuis affectat.* Hieronymus Vita Pauli eremitæ : *Infractus & hoc*
Anto-

Antonius spectaculo, scutum fidei & lorricam spei, ut bonus praeliator, arripuit. Seruius etiam Virgilij infractos Latinos, Æn. xii v. i mauult interpretari antea infractos, quam valde fractos; sed potior nobis est sententia Donati, quam in Comment. de eodem loco tulit: Hic tamen constat, non negare fractos, sed potius valde fractos ostendi. Id vero obseruandum est, nos exemplis iudicare antiquitatis, non sola analogia. Sunt enim quædam composita, in quibus IN modo augeat, ut in participio; modo neget, ut in adiectiuo. e. g. infrenatus Liuius xxxvii, 20 est frenatus xxi, 44 non frenatus. Sic indictus, inhumatus, insuetus, incoctus (Sil. xv, 681) & alia ambigue significare possunt.

INFVCATVS Ciceroni iii de Orat. c. 25 non significat *non fucatus*, sed *valde fucatus*. Multo post tempore Arnobius ii p. 75 *Si infucata vultis audire, nec ab aliqua vocis ostentatione deducta, hoc est, nudam*

veritatem. Et Symmachus iv Ep. 30 *Itane epistolarum nostrarum simplex usus interiit, ut paginis tuis lenocinia cui presentis anteferas? Redeamus quin ergo ad infucatos nominum titulos, &c.*

INTERPRETOR Passive. Dixit quidem Suetonius Ner. c. 13 *verba interpretata*, & Sallustius Jugurth. c. 17 *ex libris Punicis interpretatum nobis est*: & ipse Cicero de Leg. ii c. 12 *quod nos prope idem Grecum interpretatum nomen tenemus*: sed hæc rariora sunt, & **Perfesto Tempore** efferuntur, quod neque in aliis Deponentibus est insolens. At Præfenti Passive uti, nescio an florentis Latinitatis fuerit. Posteriore ævo autem vñtatisimum id fuisse, multa exempla confirmant. Ammianus xxiii, 12 *Zaitam venimus locum, qui olea arbor interpretatur*. & xxiv, 21 *fossile flumen Naarmalcha nomine, quod amnis regum interpretatur*. Hieronymum & Vulgatum Interpretem addere superiædeo.

IVX.

I**V****X****T****A** pro *secundum* nemo antiquiorum dixit. Nazarius Panegyri. Constantini c. 23 *iuxta magnitudinem exantlandi operis*. Hieronymus Epist. II *iuxta Prophetam Zachariam*: & Epist. IV *iuxta illud poeticum*: & Epist. LXXXII *iuxta inclytum oratorem, silent inter arma leges*. Solinus cap. de Macedonia, *iuxta responsum datum a Deo*.

L**I****N****E****A** pro versu libri, Zeitel Apuleius III Habitudo Doctrin. Plat. videtur dixisse, dum de syllogismi structura ait: *sunt in superiore linea, Uniuersalis Dedicatiua & Abdicatiua*. Latinius est *Versus & Versiculus*. Cicero pro Milone cap. XXVI cum senatus ei commiserit, *ut videret, ne quid resp. detrimenti caperet: quo uno versiculo satis armati consules semper fuerunt*. Et pro Rabirio Posth. cap. VI Glaucia solebat populum monere, *ut cum lex aliqua recitaretur, primum versum attenderet*. Plinius IV Epist. XI extrema: *non minus longa epistola nuncies*. Ego non paginas

tantum, sed etiam versus syllabasque numerabo.

PARENTES. Iulius Capitolinus in Marco Philosopho cap. v *omnibus parentibus suis reuerentiam habui*. Hem! (inquit Casaubonus) tam multos igitur habuit Marcus parentes? Atqui patre, qui genuerat, pridem extincto, duos solos habuit parentis reuerentia colendos, patrem Pium, & Hadrianum auum. Mater & aui, paternus & maternus, fato iam concesserant. Quinam igitur isti tot parentes? nego vocem *parentis* ex usu veterum Romanorum debere hic accipi; verum pro quibuscunque sanguine vel adfinitate iunctis vsurpatur. Sic & alii horum temporum scriptores, quos citaui ad Eutrop. i. c. 7

PRÆSUMO antiquis est *ante sumo*. Plin. Epist. vi, 10 *Tam parata obliuio mortuorum, ut ipsi nobis debeamus etiam conditoria exstruere, omniaque heredum officia præsumere*. Sæculo posteriore significauit etiam *audere*.

vere. Sextus Rufus c. 7 Epirota aliquando cum rege Pyrrho etiam ad Italiam transire presumerant. Add. Vorst. ad Sulp. Sev. i Hist. 47

PROLIXVS ad verba & orationem veteres non applicant, ut longitudo & copia describatur: sed aiunt, *multum in re esse, epistola pluribus vertis scripta, & scribere verbosius*, ut Cic. vii Ep. 3 *disertissima epistola*, ad Attic. vii, 2 *duas pleniores epistolas accepi*, lib. xi epist. xii *uberiores littere*, eodem lib. xi extremo. *verbosa commendatio*, Phædr. ii fab. i *latius & uberius explicare* Suet. Rhet. i *Nec Prolixe aliter*. vid. Giffan. Obs. L. L p. 184. At Paullinus Epist. xii n. i *prolixiores littere*: Hieronymus Epist. vi ad Florentium, *prolixus liber*, & Symmachus ii Epist. viii *litterarum prolixitas*. Et Augustinus Retract. ii, 7 *liber unus tantæ prolixitatis est*.

PROMOVERE est in alium locum pellere aut euehere. De honoribus si quando veteres usurparunt,

raro absolute vtuntur, sed cum addito dignitatis gradu. *Promoueri ab humili ordine ad superiorem gradum*, Curt. vi, ii *ad ampliora officia*, Sueton. Vespas. 16 *in amplissimum ordinem* Plin. epist. x, 3. Semel absolute Plinius Paneg. cap. x c videtur hoc verbo vsus esse. Posteriores vero frequentissime. Capitolinus in Marco 6 *tantum apud Pium valuit, ut nunquam quemquam sine eo facile promoueret*. Lampridius Alex. c. 46 *eos esse promouendos, qui per se temp. gerere possent, non per Adseffores*. Vnde Ammiano xxxi cap. 39 *Promoti singularis classis militum sunt, qui suum habebant tribunum*.

PROPRIVS. Sextus Rufus cap. iv *mortem sibi propria manu consciuit*. Ammian. Marcellinus xv, i *scribendo propria manu*: & xx, 6 *propria sponte proiiceret insignia principatus*. Veteres dixerunt. *Sua manu scriptum*, Cic. vii Att. Ep. 3 aut mutata Persona, *mea manu* ii Att. Ep. 23 *sua manu fecisse*, pro Rosc, Am. c. 29 *Vt pluri-*

plurimum Ciceroni *Proprius* eleganter significat ad aliquem solum pertinens, *eigenthümlich/ allein zu ständig/* 11 Diuin. cap. 53 *varietas est propria fortuna*: Pro Rosc. Am. cap. 8 *Tria pradia vel nobilissima Capitori propria traduntur.* & VI Epist. 1 *proprium periculum opponitur communi.*

VICE cum Numeralibus. Solus fere Horatius ex vetustis dixit *in oda xiv plus vice simplici*, quod vulgo de iteratione interpretantur. Aliis antiquis *vice* idem est quod *vicisitudine*. At labente sæculo Palladius dixit 1, 28 & 30 *tribus vicibus*: x, 7 *prima vice*: eod. lib. *ineunte tertia vice arabitur.* Hieronymus de script. Eccl. in Philone: *cum secunda vice venisset ad Claudium.* Capitolinus in Marco c. 7 *diuersis vicibus.* Alcimus Auitus lib. v v. 643 *tot vicibus*: & eodem lib. v. 560

- - *nec vestro vobis sudore triumphus
Hac vice proueniet.*

Hac vice, id est nunc, hoc tempore,
Sido-

Sidonius vii Epist. *i quadam vice, pro quondam, quodam tempore: nam pro vicissitudine quadam bonum & antiquum est.* Liuius xxvi, 37 *Transmarina quoque res quadam vice pensata: sicut vulgare hac vice etiam Silius, sed alia notione dixit pro hac vicissitudine, lib. iv v. 323 & Seneca de Const. Sap. c. 7*

Ad hanc ætatem etiam pertinet titulorum frequentia, præsertim illorum, qui, vt Dialectici loquuntur, per formam Abstracti efferuntur. Inde in nostra tempora diffusi sunt. Sic Eutropius Præfat. Principem alloquitur, *mansuetudo tua, & i c. ii tranquillitas vestra: Symmachus x epist 23 eternitas vestra: & 26 perennitas vestra: ad alios illustres viros, præstantia tua iii, 70 item excellentia tua, magnificentia, iv, 9 quod etiam in legibus Codicis obuium est. e. g. Lege i de officio præfecti, cura & providentia claritatis tue. Lege ix de Aduocatis diuersor. iudiciorum, celsitudo tua.*

Leg.

Leg. i de Aduoc. diuers. iudicio-
rum, *nostra serenitas*, &c. Hierony-
mus Epist. xxxi ad Theophilum,
episc. Alexandr. *Beatitudinis tue ac-
cipi epistolas*. Et apud Paullinum Ne-
lanum sapissime *Vnanimitas tua*.
Mirari possis, iam tum Tiberii auo
Velleium Paterculum ii cap. cxi
dixisse *mediocritas nostra*, & cap. civ
pro capto mediocritatis mea: etiam
Valerium Maximum Præfat. *mea
paruitas*. Sed hæc tum rara erant
declinantis Latinitatis exempla:
postea Constantinorum & sequen-
ti ætate huiusmodi formulæ ad fa-
stidium frequentatæ sunt. Ita ab-
horrent enim hæc ab eruditorum
auribus, vt Lipsius Valerii prolo-
quium falsatum & incrustatum,
crediderit, a qua sententia vt du-
riore, alii cordati vtri discesserunt,
Io. H. Bœclerus ad Velleium; & Io
Vorstius ad Valerium adnotationi-
bus. Dicis: Ciceronis etiam esse
abstractas appellationes, vt *medio-
critas consuetudinis mea*, & similia.
Verum

Verum veteres his formulis vtuntur vbi opus est, & vim significandi habent: posteriores sine necessitate, solius pompæ causâ, vbi prisci pronomina *ego, tu, nos* adhibebantur fuissent.

Etiam *Dominus noster* huius ætatis est, præfixum Imperatorum nominibus. Exempla superius in Triumphator dedimus, & in Antibarbaro sub voce *Dominus*: & passim similes apud Gruterum inscriptiones comprobant, qui etiam p. 246 habet *D. N. TRAIANO*; verum non Vlpio, sed *Q Decio* dicata illa inscriptio fuit, quod euincunt addita verba *NOBILISSIMO CAESARI & VICARIO PER HISP.* quale Vlpî ætate honoris genus inauditum fuit.

CAPVT VII

DE

Latinitate Ecclesiastica.

▪ **E**cclēsia quoque inuexit vocabula, quæ ante tempora Christianorum in Latio inaudita fuerunt, saltem alio sensu & notione vsitata. Multa illorum ex Græcis Scripturis Veteris & Noui Testamenti desumpta sunt: alia ad vsum & consuetudinem Ecclesiæ conformata. Hæc inter sordida abiicere, pietate prohibemur, quod ex longo vsu aliquid sanctitatis traxisse videntur; nec tamen pure Latinis adscribimus, quod magistris Latinitatis ignorata aut inusitata fuerunt. Itaque classem peculiarem damus, vt cultores stili intelligant, quæ in sacris negotiis rite & licito adhibere possint; non autem ad civilem eloquentiam applicare. Ex mul-

multis & pæne innumeris produ-
cimus tantum vſitatiſſima.

ANATHEMA cum Deriuato.
Hominem execrabilem Eccleſia,
ἀνάθεμα, *Anathema* vocat, vt notiſ-
ſimum. Hinc etiam Verbum Græ-
corum more deducit *Anathematiz-*
are. Hieronymus Ep. L, quæ eſt
Apolog. ad Pammachium, cap. 4
Iouianum anathematizatum dolent.
Et Epist. LXXV *Si hac quotidie non*
anathematizarem.

BAPTIZARE. Cyprianus Epist.
LXXIII n. I *Statuentes unum baptisma*
eſſe, quod ſit in eccleſia catholica con-
ſtitutum: ac per hoc non rebaptizari,
ſed baptizari a nobis. Huc etiam
deriuata pertinent, *baptismus*, *ba-*
ptisma, *baptiſta*, omnia bene ex Græ-
ciſmo deducta, ſed extra vſum La-
tini populi. At *baptiſterium* Plinii
eſt lib. v Epist. vi

BLASPHEMIA & BLASPHE-
MARE. Græcos horum natales nec
pueri ignorant. In Latinum ſer-
monem Chriſtiani induxerunt.

Prior

Prior vox, quod pure Græca est, tolerabilior: posterior plus abhorret ab ingenio linguæ Romanæ. Tamen vsi ea sunt magni Patres & oppido antiqui. Tertullianus de Resurr. Carn. cap. 45 *Carnis est & os ad proferendum optimum quemque sermonem, & lingua ad non blasphemandum.* Hieronymus Epist. LXXV ad Vigilantium extrema: *Diabolus nunquam plus, quam per os tuum, debenditur blasphemasse.* Orosius VII, 5 *Caligula dignus Romanis blasphemantibus.*

BONA OPERA, & BONA OPERA FACERE, Theologica, potius, quam Latina sunt. Dices, *studium pietatis, sanctitas morum, & similiter.* Item *officia virtutum præstare, virtutibus elucere, & quæ his conformia sunt.*

CARNALIS & CARNALITER. Prudentius Apotheos. v. 987 de Mattheo:

*Qui notat omne genus carnalis stirpis
ad usque*

Corporeum Christum.

Hie.

Hieronymus Epist. x ad Furiam:
Grandis virtutis est, in carne non carnaliter vivere.

CONCVPISCENTIA. Sacris scriptoribus tritisima vox. Tertullianus Resur. Carn. c. 49 *corrumpti secundum concupiscentiam seductionis.* Et de Anima cap. 38 *Concupiscentia oculis arbitris utitur.* Et Hieronymus Epist. cxxix *concupiscentia, libidinis seminarium.* Paullinus Epist. xxx n. 3 *crimen illicita concupiscentia.* Ostendant quidem Q. Curtii vulgata volumina *ingentes concupiscentias* viii, 6 n. 18, sed Constantiensis codicis auctoritate illa verba pro glossemate habentur ab RADERO & MODIO. Quis enim facile crediderit, verbum, quod apud nullum adhuc paganum scriptorem, neque infimæ ætatis, reperiri potuit, terso politoque auctori genuinum legitimumque esse? Vide notata a Cl. FREINSHEMIO.

CREATVRA. Neque huius usus extra Ecclesiam est. Nec tamen
 nouum

nouum vocabulum. Antiquissimus Tertullianus Apolog. c. 30 *Cælum debellet imperator, cælum captiuum triumpho suo inuehat. Non potest: ideo magnus est, quia cælo minor est. Illius est enim ipse, cuius est cælum & omnis creatura.* Hieronymus Epist. LIX c. 1 *rationabiles creaturæ.* Cassiodorus II, 40 *præter ipsam (inspectionem diuinitatis) creaturam non exstat.*

DEITAS. Cuius originis ætatisque hæc vox sit, Augustini verba probant VII Civ. Dei c. 1 *Hanc diuinitatem, vel ut sic dixerim, Deitatem; nam & hoc verbo uti iam nostros non piget, ut e Græco expressius transferant, quod illi Θεότητα appellant.* Hieronymus Damaso Epist. LVII *In tribus personis Deitas vna subsistit.*

DEVOTIO pro religione, *Andacht* / nescio an aliquid Ecclesiæ debeat. Priscis enim Latinis erat consecrandi vel execrandi actus, ut ex Ciceronis Nat. Deor. III cap. 6 & Suetonii Calig. cap. 3 patet. Videntur

dentur quidem Lampridius Hellog. c. 3 & Solinus de Hyperbo-
reis cap. 16 extr. (al. 26) eodem fere
modo usurpasse, quo Christiani:
verum quia vterque sæculo Chri-
stiano vixit, dubitari potest, vtrum
a suis, an Christi cultoribus hanc
verbi notionem acceperint. An-
tiquiora exempla me deficiunt. At
DEVOTVS vtrunque bene se habet.
Latinis enim etiam *deditum* & *addi-
ctum* notat: itidem Christianis. Sic
elegantè Hieronymus Eustochiam
Epist. xxvii c. 1 vocat *deuotam*,
Christo filiam: & Prudentius ii Sym-
mach. extr. *deuota Deo Roma*.

ELEEMOSYNA. Ex Ebraismo
ad Græcos eosque sacros scriptores
manauit, vt ἐλεημοσύνη etiam *stipem*
significaret, quæ misericordiæ affe-
ctu pauperibus datur. Vid. Vorst.
Ebr. N. T. Part. 1 c. 2 extr. Græcum
verbum Latini ciuitate Ecclesiasti-
ca donarunt, non solum Vulgatus
Interpres cum æqualibus, v. g. Hie-
ronym. Epist. ii *labor manuum, unde*
pre-

prabeantur eleemosyna; sed etiam longe ante ipsum Tertullianus de Patientia c. 7 Qui minutum, inquit, sibi aliquid aut furto, aut vi, aut etiam ignavia, non constanter sustinere constituit: nescio, an facile vel ex animo ipse rei suae manum inferre posset in causa eleemosyna.

EREMITA, hoc est, solitarius, seorsum degens. Sulp. Seuerus i Dialog. c. xiv saepe: *Regressus eremita: egre patiebatur eremita: & mox, eremita miseratus, &c.* Nec Eremus, id est, locus desertus, facile apud alios, quam Ecclesiasticos inuenitur. Hieronymus Vita Pauli ineunte: *eremus habitari coepit.* Sulpicius c. l. cap. xiii *haec tantum in eremo arbores.*

ETHNICVS ad cultum deorum refertur, vt Latinum *Gentilis*; etiam *Paganus*, de quibus mox dicemus. Hieronymus Epist. xxxiii *Cernimus ethnicos & Iudeos --- volutari in cano libidinum.*

EXCOMMVNICARE. Hieronymus ii adu. Rufin. c. 5 *Synodus, aqua*

a qua excommunicatus est, in qua urbe fuit?

FIDES & FIDELIS. Fidei vocabulum quam nobili significatione auctum sit in Ecclesia, notum est. Inde *Fidelis* denominatur Christianus seu Christo deditus, itidem noua notione. Prudentius in Romano v. 97

Amplector, o praefecte, nec me subtraho,

Vt pro fideli plebe solus immoler.

GEENNA siue **GEHENNA.** Prudentius Cathem. xi seu hymno in Natalem Domini, v. 110

Meritis rependet congrua;

His lucis usum perpetis;

Illis gehenna & Tartarum,

Sedulius lib. v de latronibus cum Christo suffixis cruci:

Ille profunda petens perierat claustra gehennae:

Abstulit iste suis caelorum regna rapinis.

GENTILES Ciceroni Top. cap. vi qui eodem nomine, seu ex eadem

dem gente sunt. Ecclesia ita vocat idolorum cultores & quod ad illos pertinet. Hieronymus Epist. ii *gentilis litteratura*. Epist. xxii c. 13 *gentilium litterarum libros legere*. HINC GENTILITAS. Lactantius ii, 13 extr. *Errant, qui contendunt, priorem esse gentilitatem, quam Dei religionem*. Paullus Orosius i cap. 16 *caca gentilitas*, Et GENTILITER. Fulgentius contra Arianos n. 4 *Deos gentiliter colere*. GENTES etiam pro Gentilibus dicuntur in Versione Vulgata passim, & apud Patres,

HYPOCRITA. Scenicum artificem sonat Suetonio in Nerone c. 24, ubi adire Gronouium & Torrentium potes, & ex veteribus Isidorum x Originum, si de Hypocrita theatriali vis certior esse. Ecclesia ad pietatis & religionis simulatorem transfert: & ipsam simulationem *Hypocrisin* vocat. Hieronymus adu. Pelag. ii c. 5 *Hypocriseos maculam non habere aut paucorum est, aut nullorum*.

IDOLOLATRA, IDOLOLATRIA. Verba a Christianis imposita errori religionis profanæ. Ergo apud τὰς ἑξῶ scriptores non sunt inquirenda. *Idolum* quidem habet Cicero i de Finibus c. vi pro *imagine*; & Plinius vii epist. xxvii pro *spectro*: sed pro *falso & commenticio deo* videtur Ecclesiasticæ notationis. Prudentius etiam Femininum ab *Idololatru* format in Hamartigen. v. 404

*Incerat lapides fumosos idololatriæ
Religio,*

IEIUNARE qui extra ecclesiam dixerint, non apparet. Tertullianus de ieiun. c. 2 *indifferenter ieiunandum ex arbitrio, non ex imperio nouæ disciplinae.* Hieronymus Epist. xxii c. 13 *lecturns Tullium ieiunabam.* Prudentius Hymn. ieiunantium, v. 177

Pridem caducis cum grauatus artubus

Iesus dicato corde ieiunauerit.
Arnobius quidem lib. v p. 175 ex
Eleu-

Eleusiniis sacris hanc formulam, adfert: *ieiunavi atque ebibi cyceonem*; verum Græca verba Græcanici ritus ex suo ingenio Latine vertit.

IMPOENITENS & IMPOENITENTIA utrumque pure Ecclesiasticum est. Illud existat apud Vulgatum Rom. II, 5 Græc. ἀπιστῶν-
τῶν.

INCREDULITAS. Verbum Apuleio etiam lib. I Metamorph. usitatum, Theologis singulare quid & peculiare significat. Hieronymus Epist. CXXV quæst. 3 *Christus incredulitate Iudeorum compulsus.* Pari modo Adiectivum **INCREDULUS** tractavit Orosius VII, I *nunc cum incredulis actio est*, id est cum paganis, gentilibus, qui quanquam vere increduli sunt, dum euangelio non obediunt; tamen quilibet intelligit, aliam notionem saltem specialem esse, cum Theologi *incredulos* vocant simpliciter, qui a christianis sacris abhorrent: aliam cum Horatius de Arte v. 188 dicit

Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.

SIMPLEX CREDULITAS, quæ alias in vitiis ponitur, etiam theologice vim ac significationem induit, ut fidem sonaret christianam, Prudentius Apotheos. v. 547

—— *Vis tanta novella*

Credulitatis inest,

Salvianus III contra Avaritiam, p. 133 *Non quæro, ut mihi credulitatem tuam superioris vitæ actibus probes.* Plura habet Rittershusius in Commentario pag. 518

INFERNVS Substantive, damnauit Vossius impuritatis, nec, ut mihi videtur, iniuria. Nam purioribus omnibus est Adiectiuum. Tibullus lib. II Elegia vlt.

Venit ad infernos sanguinolenta lacus,

Liuius xxiv, 38 extr. *superi inferni que dii, & sic infinitis locis aliis.* Soli Ecclesiastici absolute pro Orco & inferis ponunt, quorum obuia exempla Vossio dicam scribunt S. ioppius

oppius & Borrichius, sed dispari conatu. Ille enim nihil habet, quod adferat, quam versum Propertii in Eleg. xxix

Sunt apud infernos tot millia formosarum,

ubi locus subaudiri contendit. Esto subaudiri, quid vero hæc ad Singularem *infernus*? quiduis autem aliud, quam *locos*, subaudio: *deos, spiritus, manes*, & quicumque fingebantur in locis infernis esse, sicut per *Superos* intelligimus *cælites*. Unde mox addit Poeta *Vobiscum*. Cl. Borrichius multum præsidii putat esse in Varronis fragmento, quod ex Satyra, *ταφῇ Μινίππε*, nobis servavit Nonius Marcellus in voce *Habere*: magnus Buchnerus ad Venantium, in eadem sententia fuit de Varronis loco, quæ etiam ad auctum Fabri Lexicon repetita fuit. Verba Varronis, uti Borrichius citat, hæc sunt: *Saltem infernus tenebrosus κακοδαίμονας tenet*. Fir-
mum omnino præsidium, si salva

scriptura, quam Poppma, & Riccobonus in Fragm. Hist. Vet. exhibent. Dionys. Godofredus Not. ad Nonium mauult, *infernus tenebro*, *κακὸς δαίμων*. Editio Nonii accuratissima Paris. 1614 habet, *infernus tenebro*, *κακὸς δαίμων*, eiusque editor, vir maximi ingenii, & Casaubono amicissimus, (quem quidam Mercerum putant) in Notis adfirmat, expressisse se librorum manu exaratorum scripturam, quamvis *Tenebrio* placeat viris doctis pro *Tenebro*. Quæ si ita sunt, non aliter, quam omnes sui sæculi, hoc est, adiectiue, vsus est voce *infernus* M. Ter. Varro. Aliud præsidium, infirmius tamen, arcescitur ab Iulio Obsequente, qui cap. xv *fremitus*, inquit, *armorum ex inferno auditus*. & c. seq. *fremitus ab inferno ad cælum ferri visus*. Verum quis mihi spondebit, Obsequentem Virili Genere vsum esse, nec potius more græcissantium, Neutro, ex quo Plur. *inferna* pœne multi dixerunt?

runt? Sed pone Masculinum, pone Substantivum esse, nonne a Christianis potuit vocabulum haufisse, qui medio Christianorum sæculo scripsit, vti de voce *Maledictus* infra ex Casaubono trademus? Vixit enim hic Iulius, Vossio & Bocharto consentibus, circa Honorii tempora, vt si etiam omnia concedamus, tamen ipsa ætas ad Latinismum stabiliendum, si antiquiora desint, minus sufficiat.

Quod vero Vossius æque Plural. INFERN A reptudiat, non approbamus. Hic enim dicendi modus ex Gracismo facillime defendi potest. Solinus cap. de Ora Pontica: *specus, quem fontinis caci profundo ad usque inferna aiunt patere.* Lactantius lib. 1 c. XI *Aiunt Iovi celum obrixisse, Neptuno mare, inferna Plutoni.*

INFIDELITAS. Quod fractam fidem & periurium Ciceroni pro Milone c. 26 & Hirtio Supplem. Belli Gall. Cæf. c. 23 significat; Ecclesiasticis idem est, atque *Incredulitas*,

de qua voce iam diximus. Salui-
nus c. 1 *Sermo & professio tua iacti-*
tant fidem: sed vita atque obitus pu-
blicant infidelitatem. Eadem ratio
est adiectiui INFIDELIS, quod ali-
ter sumitur, cum Horatius Epod.
xvi v. 6 ait:

Novisque rebus infidelis Allobrox:
aliter Christianis absolute notat a
Christo eiusque cultu alienatum.

IVSTIFICARE. Prudentius
Apotheos. v. 885.

Spiritus & Sanctus baptisate iu-
stificatam

Nobilitat, intellige animam.

At *Iustificus* est etiam Catulli in
Carm. extremo Argonaut.

Omnia fanda, nefanda malo permi-
sta furore

Iustificam nobis mentem auertere
deorum.

MALEDICTVS, *ἄνικα δέστω*.
Spartianus quidem in Geta cap. 3
inducit Iuliam Bassiano puero, cum
eodem die, quo Geta natus erat,
mirandum & singulare ouum fre-
gisset,

gisset, per iocum dicentem, *maledicte parricida, fratrem tuum occidisti*: verum ob id non cessat hæc notio esse Ecclesiastica. Nam præclare Casaubonus in Commentar. ad h. l. **MALEDICTVS**, inquit, *quomodo hic accipitur, proprium est scriptorum Christianorum verbum. Sed gliscente Christianismo, cæperant pridem & locutiones illorum ab aliis quoque usurpari.*

MARTYR, MARTYRIVM.
Propria & hæc sunt Ecclesiæ. Prudentius Cor. Mart. S. Laurentij v. 330

Votiva mors est martyri.

Ammianus Marcell. xxvii, 16 gentilis homo, sed sub alia persona; quos interfici tanquam noxios iubet, ut martyras, id est, diuinitati acceptes, colit religio Christiana. Hieronymus Epitaph. Paullæ, siue Epist. xxvii c. 13 *Mater tua longo martyrio coronata est. Non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur: sed*

denota quoque mentis seruitus immaculata quotidianum martyrium est.

MEDIATOR, de Christo *μεσότης* obuium. Eleganter Tertullianus de Resurr. Carn. c. 51 hoc diuinum officium describit: *Hic sequester Dei atque hominum &c. & cap. 63 per fidelissimum sequestrem Dei atque hominum Iesum Christum.* Alcius Auitus etiam *mediatrix* dixit de columna ignea, quæ inter castra Ægyptiorum & Israelitarum fuit, lib. v v. 553 — *videtis.*

Vt mediatrix cures tutela columna,

Ne quid ab aduersa liceat nos fraude vereri.

MYNDVS ornatum, vniuersi systema, cælum significat Latinis. In Ecclesia præterea sonat genus humanum & res humanas, cuius notionis licet apud profanos interdum similia reperiantur, tamen proclive ad fidem est, ecclesiasticos non tam illorum imitatione quam scripturæ sacre consuetudine stili-
lum

lum suum informare. Quando autem impiorum colluuiem, improbitatem atque vitia significat, videtur ecclesiæ propriam notionem induisse. Prosper Aquit. Epigram. xcvi.

*Nam mundo innexis pars est cum
principe mundi:*

*At seruis Christi gloria Christus
erit.*

Eadem ratio est Deriuati **MUNDANVS**. Cicero Tusc. Quæst. v. c. 37 ita Socraticam vocem *κοινωτικὴν* interpretatur: & Auienus in Arateis pro *cælestis* posuit, quatenus *mundus* interdum *calum* dicitur. v. 47

Mundanique ortus mei immemor,
id est, cælestis suæ originis. Insuper addiderunt Ecclesiæ scriptores significatum vanitatis, vilitatis, pompæ voluptuosæ, quo sensu Prudentius etiam *Mundialis* dixit. Cathem. i v. 90

*Sunt nempe falsa & friuola
Qua mundiali gloria,
Ceu dormientes, egimus.*

Adde Peristeph. i v. 41. Sic Sulp. Seuerus Hist. Sacr. ii, 14 *mundiales historicos* vocat profanos, quos ipse lib. i c. i dixerat *historicos ethnicos*. Et Tertullianus de Anima cap. 54 *labes mundalium sordium*.

ORTHODOXVS. Hieronymus Epist. cXLIV ad Damasum: *Commentaria cum legerem a nostris, id est orthodoxis viris olim ac nuper scripta*.

PAGANVS. Pagani erant, qui non fuerunt milites. Plinius Epist. x, 18 & *milites & Pagani*. Vegetius ii, 23 *si doctrina cesset armorum, nihil paganus distat a milite*. Adde Sueton, Galb. 19, Tacit. Hist. iii, 77. iv, 20. Hinc deorum cultores, quod Christo non militant, forsan *pagani* dicti: aut potius *pago* nomen debent, vbi, clausis templis, deos coluere. P. Orosius Præfat. lib. i *ex locorum agrestium compitis & pagis*

pagis pagani vocantur. Prudentius
in Romano v. 296

Non erubescis stulte, pago dedite.

& adu. Symmach. i v. 620

*Nec pago implicitos per debita cul-
mina mundi*

Ire viros prohibet.

Hoc est, deorum cultores ab hono-
ribus non arcet Honorius Augu-
stus. Vt a Gentilis Gentilitas: ita
a Paganus *Paganitas* dixerunt po-
steriores Christiani. Exemplum
vide infra in voce *Ditio*.

PECCATOR. Hanc vocem non
facile repereris apud profanos, quæ
in ecclesia tritisima est. Lactan-
tius lib. iii, 25 [al. 26] *Da iniustum,
insipientem peccatorem: continuo &
æquus, & prudens, & innocens* [Dei
verbis] erit. Fem. PECCATRIX eius-
dem vsus. Tertullianus Resurr.
Carn. c. 15 *caro peccatrix*: Pruden-
tius præfat. operis v. 35

Peccatrix anima stultitiam exuat.

Idem Apotheos. v. 915 & 933 [ed.
Heins.] PECCAMEN noua forma
peccatum dixit. PER-

PERSECVTIO iuris & fori verbum est Ciceroni in Oratore, c. 41, & Vlpiano de Verb. signif. l. Pecuniæ verbum. Ecclesiasticis diras & funestas clades significat, quas pagani principes atque præfecti Christianis attulerunt. Has eleganter Sulp. Seuerus principio Hist. Sacræ vocat *vexationes populi Christiani*, quia *vexare*, secundum Asconium in Verr. actionem, quæ Proœmium vocatur, *ingentis calamitatis usum*, significat. Eadem ratio est vocis **PERSECUTOR**. Hieronymus Epist. LIX *Paulus ex persecutore fit predicator*.

POENITENTIAM AGERE Latinis est idem quod pœnitere, & de variis rebus vsurpant, quas plerumque addito Gignendi casu exprimunt, vt supra ostendimus. Ecclesiasticis sonat *resipiscere, ad frugem redire, ad Deum Christumque conuertere*.

PRIMOGENITVS. Eadem ratio est huius, quæ superioris vocis.

Perrara profanis, sacris scriptoribus
 vſitatiſſima. Plinii locus lib. xi, 40
 quem vulgo citant, ſuſpectus eſt,
 cum antiqui libri, etiam noua Ba-
 taua editio, non *primogenitiſ*, ſed
primis genitiſ, diuiſis vocibus ha-
 beant, vtut recentiſſimus Hardui-
 nus *primogeniti* legat, & quidem
 primo caſu. Ne vero abiudice-
 mus profanis, facit Palladius Ruti-
 lius, qui lib. i c. 39 de fuga apium
 inhibenda, *Creduntur*, inquit, *non*
fugere, ſi ſtercus primogeniti vituli ad-
linamus oribus vaſculorum. Hic
 locus, niſi & ipſe falſatus eſt, (con-
 ſtanter tamen exhibent Aldina, Co-
 lonienſis, & Commeliniana) ſatis ſit
 rigori refringendo, quem ſententia
 Schoppiana contra Famianum p. 60
 præfert, *Barbarum eſt; primogenitum*
dicere, qui natus ſit liberorum maxi-
mus. Aliud exemplum apud pro-
 fanos mihi non ſuppetit: plurima
 vero apud Eccleſiaſticos. Laſtan-
 tius lib. i cap. v. Orphei *πρωτόγονον*
 Deum vertit *primogenitum.* Et cap.

XI *Filium suum primogenitum delabi iussit e cælo.* Hieronymus in Script. Eccles. de Polycarpo refert, quærenti Marcioni, an se cognosceret, respondisse: *cognosco primogenitum diaboli.* Et Epist. LXXXIII *causa sunt Ægypti primogenita*, quasi Adiectiue, ut etiam Sulpic. Seuerus Hist. I, 18 *primogenita omnia Domino offerenda.*

PROPHETARE. Barthius in Claud. Mamertum p. 288. *Recepta est a Patribus Latinis detorta vox ex Gracismo.* Tertullianus Resurr. Carn. c. 28 *Scimus sicut vocibus, ita & rebus prophetatum.* Hieronymus epist. ciii cap. 7 *Iob resurrectionem corporum prophetat:* Prudentius in Coron. Mart. Cypriani v. 101.

Differit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat.

Sulp. Seuerus Hist. I, 47 *Esaias sub Ozia primum prophetasse traditur.*

PROPTIATORIVM Vulgato interpreti Bibliorum debetur.

PROXIMVS Substantium soli Eccle-

Ecclesiæ scriptores habent ex imitatione Græcismi sacri ὁ πλησίον.

REBAPTIZARE. Hieronymus Catal. Script. Eccl. in Dionysio Alexandrino: *De hæreticis rebaptizandis ad diuersos plurimas misit epistolas.* Add. Cyprian. Epist. LXXIII n. 1. & 2.

REMITTERE PECCATA. Remittere *pœnam* Liuius dixit iii cap. 58 & Plin. ix Epist. 13 etiam *multam*, idem iv Epist. 29 *animaduersionem & supplicium*, Vatinius ad Ciceronem v, 10. At *remittere peccata* ex sacris originem videtur habere. Hinc est, quod solis forsan Christianis receptum usu sit, sicut ipsa vox *peccatum* vsitatio in ecclesia est, quam extra illam. Prudentius Apotheos. v. 969 [1033]

Do veniam morbis, simul & peccata remitto.

Non negamus, huic maxime similia apud profanos inueniri, vt *crimen remittere* Lucan. vi v. 248 *scelus remittere* Senec. Herc. Oet. v. 996 *cul-*

culpam remittere Val. Flacc. III, 407
 Tamen *peccata remittere* non tam
 ex horum analogia, quam Vulgata
 Bibliorum versione haustum est,
 quod ideo memorare visum fuit, ut
 tirones nostros, sacrae receptaeque
 dictioni tenacissime inhaerentes ad
 Ciceroniana *gratiam delicti facere*,
concedere iniuriam, delicta; libera-
tionem culpa & errati veniam impo-
trare, & quae his alia similia sunt;
 magis magisque adsuaficiamus.

RESURRECTIO. Lexica vel non
 habent, vel nullam auctoritatem
 afferunt, nec memini me observa-
 re in auctorum lectione. Ciceronis
 est *Consurrectio* de Arusp. Resp. c. 1
 Christianis vero *Resurrectio* & trita
 vox est, & necessaria. Tertullianus
 librum scripsit de Resurrectione
 Carnis, cuius initium est: *Fiducia*
Christianorum, resurrectio mortuo-
rum. Adde Hieron. supra in *Pro-*
pheta.

SCANDALVM & SCANDALI-
 ZARE. Prudentius Praefat. Apo-
 theos.

La-

Lapis ecce! nostro fixus offensaculo est,

Inpingat in quem vanitas.

Signum cauenti, non cauenti scandalum:

Hunc sternit, illum dirigit.

Tertull. Ref Carn. c. 30 *Israel pro tua incredulitate diffidens scandalizabatur.* Etiam castioris stili auctor Hieronymus Epist. xxii cap. 13 *Nonne scandalizatur frater, si te viderit in idolio recumbentem?*

SAECVLARIS, hoc est, Profanus, Gentilis. Hieronym. c. 1 Ep. xxii c. 13 *codices seculares*, id est, Ciceronis, Plauti, similium: & Epist. cxlii extr. *Moses secularibus eruditus fuerat disciplinis.* Apollinaris Epist ix, 9 *supercilio scientia secularis.* Cassiodorus Diu. Lect. c. 21 *litteris secularibus eruditus.* Etiam **SAECVLVM**, id est, Mundus, huius generis scriptoribus non nihil aliter, quam in profano usu est, vsurpatur, vt ad sacrae scripturae אלהים & אלהים inclinare videatur;

tur; v. g. Sedulii hymno, *Beatus auctor saculi.* Et Petrus Chryso-
logus Serm. CLX *uniuerso seculo non capacem concludi corpore perpetuo filio.*

SEDUCERE Latinis est *seorsim ducere, a cœtu reuocare.* Plauti testimonia in Antibarbaro produxi. Addo vnum Ciceronis, i de Orat. c. 56 *accessisse ad Crassum consulendi causa quendam rusticum: qui cum Crassum seduxisset, atque ad eum retulisset, &c.* Superuenit significatio *decipiendi, item corrumpendi mores,* quæ maiorem partem Ecclesiasticis debetur. Vorstius Susp. Lat. c. 17 Hauritur, inquit, verbi usus iste ex versione præcipue sacrarum litterarum, quam Vulgatam dicunt. Exempla ipse suppeditat. Addo antiquiorem Tertullianum, qui adv. Marcion. ii, 8 *Angelus qui seduxit: sed liber & sue potestatis, qui seductus est: & ex posteriore ætate Alcimum Auitum lib. ii v, 332 de vxore*

uxore Lothi, quam cum Eua comparat, dicentem.

— cum nec

*Tum magis consultum seduxerit illa
maritum,*

quanquam hic versus in castigatissimo Sirmondi libro non inuenitur. Etiam *seductio* habetur hac notione, ut supra in voce *Concupiscentia* notauimus. *Seductores* dixit Vulgatus II Timoth. III, 23 & Augustinus Civ. D. lib. vlt. cap. vlt. & *seductrix* Tertullianus adv. Marc, II, 2. Lexica vulgaria etiam Terentium, aut Ciceronem, aut, utrumque pro hac notione verbum *seducere* citant, sed falso. Error manavit ex Thesauro Stephani, quem Forum Rom. dicunt, ubi Cicero Attic. x epist. 15 [al. 17] traditur scripsisse: *Me vero adiuvarent his in angustiis seductum*: sed a plerisque libris iisque optimis, Manutii, Gruteri, Grævii, abest illud *seductum*. Immo in ipso Foro Romano (forſan ex Cæli additamento)

to) de suspecta lectione monitum fuerat. Terentii verba idem Stephanus ex Andria iv Sc. 1 v. 20 hæc produxit: *etiam nunc me seducere istis dictis postulas.* Hic vero meliores libri habent *ducere*: alii *subducere*. Speciosius exemplum est apud Quintilianum vii, 2 in nullo, quod sciam, Lexico observatum: *quod ipsum fecisse seductum iuuenili cupiditate gloria fatcor.* Ita habent omnes libri excusi, quos videre contigit, inprimis vetus Parisiensis 1520. Colonienfis 1527. Batavius cum variorum Notis. Sed qui verba inspicit penitius, apprehendit pro *inductum* vel *adductum* positum esse, non pro *deceptum*. Vulgatam autem notionem Cicero Rosc. Am. c. 14 eleganter, (etiam cognato verbo adhibito) expresfit: *adolescens corruptus, & ab hominibus nequaquam inductus.* & Catilin. ii cap. 4 *quis corruptor inuentus.*

SPIRITVALIS lacris scripto-
ribus trita vox: non itidem aliis.
Tamen *spiritualis* etiam τοῖς ἔξω
notum vſitatumque fuit. Solinus
cap. 23 (al. 36) de Hispania: *cor-
poribus nostris commercia sunt spiri-
tualia.*

VNIGENITVS. Ita Theolo-
gi Græcorum μονογενὴς efferunt.
Habent tamen Latini, quod huic
vocabulo cognatum sit. Cicero-
nis de Vniuerſo c. 4 eſt *Unigena*,
Virili Genere: *singularem Deus hunc
mundum, atque unigenam procreauit.*
At Catullo Carm. LXV v. 300, &
Carm. LXVII *Unigena* ſunt fratres
ſeu ſorores eadem matre editi.
Vid. Scholia Achillis Statii & Sca-
ligeri.

Claudunt agmen Compoſita a
FACIO, vt

MORTIFICARE Tertull. Re-
ſurr. c. 37. Vnde **MORTIFICA-
TIO** eſt apud Hieronym. Epist.
xx Adiectiuum vero *Mortificans*
eſt

est probum. Val. Maximus v, 6
mortifico vulnere.

SALVIFICARE & SALVIFICVS: Vulg. Interpres Iohann. xii, 27 & Alcimus ad Soror. v. 280 de sepulto Christo:

*Albaque saluificum qua seruent
linthea corpus.*

SANCTIFICO & SANCTIFICVS. Iuuenius in Prologo:
... *sanctificus adsit mihi carminis auctor,*

Spiritus. nisi forte, quod lex metri postulat, legendum est *sanctificans*. Tamen *sanctificus* habent impressi libri, Basileensis & Colonienfis, vterque 1537 & Lugdunenfis 1566, & vterque Lipsienfis 1512 & 1517. Idem in paraphrasi Orationis Dominicæ:

Nominis, oramus, veneratio sanctificetur.

& Arator in Act. x *sanctificare domum.*

VIVIFICARE. Min. Felix p. 317.

Prudent. Apotheos. v. 234 (Heinsio 166.) Hinc VIVIFICATOR,

Tertull. Ref. Carn. c. 37 & VIVI-

FICATIO c. 38. Tamen *Vivificus*

habet etiam Ammianus XXI, 2

cus habet etiam Ammianus XXI, 2

GLORIFICO est in precatione,

quæ Prudentii Hamartigeniæ

subnectitur: de cuius auctore,

quod dura & Christiano indigna

continet, quidam dubitant. Ver-

ba ultima hæc sunt;

Lux immensa alios, & tempora

vineta coronis

Glorificent: me pœna lenis clemen-

ter adurat.

Reiicitur a Vossio & Borrichio.

Falso Ecclesiasticis annumerantur

Clarifico, quia Plin. xx, 13 de nastur-

cio, *visum clarificat*: item *Magnifico*,

Plin. xx, 1 *ipsum cucumim qui magni-*

ficant: Et *Purifico*, quod eiusdem,

Plinii x, 41 & Suetonii Aug. 94.

Tandem sunt etiam in Ecclesia

voces, ex Græcia integræ, sed Lati-

nis, si causam Christianam exce-

N

peris,

peris, aut nunquam, aut raro audita. Tria hoc loco sufficiant exempla.

ABYSSVS. Aristophani Adiectiuum est ἄβυσσος, vt Suidas probauit. Ecclesiasticis profundam voraginem, seu vt Isidorus lib. xiii. Orig. cap. xx loquitur, *profunditatem aquarum impenetrabilem* notat: per Translationem, sedem inferorum. Alcimus iv v. 534 de fine Diluuii:

*Quaeque prius vomuit letali ex ore
fluente,*

*Obiicibus propriis constricta resorbet
abyssus.*

Prudentius Hamartig. v. 833 de anima vitiiis polluta:

*Mersandam penitus puteo feruentis
abyssi.*

Et Victorinus Pictauiens. de Christo Deo & Hom. sub finem:

mersa gurges abyssi.

APOSTATA desertor religionis, negator Christi. Sedulius lib. v de Iuda proditore:

Tunc vir apostolicus, nunc vili apostata factus.

Vsus

Vfus est etiam hoc verbo Tertullianus adv. Marcion. lib. 1 ineunte, & Hieronymus in Esa. xv.

PROTOPLASTI. Habet Claudianus Mamertus lib. 11 c 3 de Anima : & Prudentius Cathem. ix v. 17 *primoplasti*, tam Heinſii, quam Weizii editione ; alii libri *protoplasti*. Vide Nic. Heinſio notata.

Hæc de Ecclesiasticis ſufficiant. Sequenti Capite plura dabimus, ſicut præcedente etiam tradita fuerunt, quæ vix extra Eccleſiam inveniuntur. v. g. *Confundi* i. e. erubeſcere &c. De alijs, quæ in controverſiam non veniunt, nihil iam adnotamus.

CAPUT VIII.

DE

Latinitate prolapſa.

Diſtinguimus inter *Cadentem* Latinitatem & *Prolapſam*. Illa fuit Ab Antoninis ad Honorium & barbarorum incurſionem : hæc illud tempus complectitur, quo Gothi

N 2

&

& Langobardi Italiæ incubuerunt, unde etiam *Semibarbara* a quibusdam appellatur. Accensimus idiotismos Vulgati Interpretis, etiam aliorum quædam rara & inusitata, ex sæculo Constantinorum, aut etiam superiore, quia interdum ita adfecta sunt, ut a barbarismis propius abesse videantur. De singulis breuiter.

ABOMINABILIS, Hieronym, in Ierem. xxii, 30

ABOMINATIO Vers. Vulg. sæpe. **ABOMINAMENTVM** Orosii ii, 5 & 16. **ABOMINANTER** Cassiodor. iii, 23.

ABSENTARE, Sid. Apollin. Epist. ix, 13 *pari tempore absentans*, Faustus Reiensis libello de Creatur. *vadit, redit, absentatur, adscendit*. Claudianus iii Rapt. v. 214 falso a Rob. Steph. in F. R. additur, quia codices pro *absentauerit* habent, *mandauerit* vel *amandauerit*, ut nobiles commentatores, C. Barthius, Nic. Heinsius, & Gulielmus Pyrrho notarunt.

AD-

ADFFECTVOSVS. Macrobius
 ii Somn. Sc. c. xi *pia adfectuosaque*
res. Aduerb. *Adfectuose.* Cassiodor.
 iii, 4.

ÆRA, seu quod vitiosius est,
ERA, pro Numero & computatio-
 ne, præsertim annorum. Antiqua
 vox, & Ciceroni etiam vsurpata,
 apud Nonium, sed Neutro Genere
 & Pluraliter. Semibarbarum Sæcu-
 lum ex Neutro Plurali fecit nomen
 Femininum Singulare. Isidorus Hi-
 spal. Orig. lib. v. c. 36 *Era singula-*
rum annorum constituta est a Cesare
Augusto. Sextus Rufus cap. i secun-
 dum nonnullos libros *eris breuiori-*
bus, vbi nos cum Cuspiniano, Syl-
 burgio, & Grutero edidimus *ere*
breuiori. Adde quæ ibi ex Scaligero
 notauimus.

AETERNABILIS. Cod. Theo-
 dos. Lege v de locatione fundor.
iuris emphiti loca, quæ æternabili do-
mui fuerint congregata: & Leg. iii
 de collatione donatarum possess.
excepta æternabili urbe. Melius

eternalis, quod ex multis inscriptionibus alibi probamus.

AETHIOPISSA. Hieronym. Epist. xxii post principium, *Non est sponsus tuus arrogans, non superbus, Aethiopissam duxit uxorem.* Sic idem *Arabissam* vocat Herodis matrem in Chron. Euseb. & *Diaconissa* exstat Epist. lx cap. i, Epiphanii quidem, sed ab Hieronymo latine versa.

ANIMITVS. Nonius Marcellus p. 147 ed. Paris. per hanc vocem explicat formam veteris *Oculi-ru*. Onomasticum vetus *Animitus* ψυχόγιν.

ANNIHILARE & ANNVLARE. Glossæ Cyrilli: *Ad nichilo*, ἐξῆρθαι. Hieronymus Epist. cxxxv ad Suniam & Freteiam: *Nisi forte ἐξῆρθῶς non putatis transferendum DESPEXISTI, sed secundum disertissimum istius temporis interpretem NVLLIFICASTI, seu ANNIHILASTI vel ANNVLASTI.* Et Iornandes Get. c. 29 de Theo-

Theodosii filiis: *cæperunt utramque rempublicam luxuriose viuentes adnihilare.*

APPROPRIARE. Poetafter sub Ouidii nomine de Vetula aliquoties vsus est, testante Vossio de Vitiis iv cap. i. Barthius etiam hoc verbo corruptum Britonis locum ix v. 596. putat sanari posse.

AVGMENTARE frustra in Calepini recocto Lexico, & aliis inde exscriptis, ad Ciceronem refertur. Hic enim de Senect. cap. xx scripsit: *Opus ipsa suum, eademque coaugmentauit, Natura dissoluit.* Male vero, quisquis auctor est, *augmentauit* posuit pro *coaugmentauit*. Tamen Iulius Firmicus v cap. vi dixit *thesauros augmentare.*

BENEPLACITVM. Versionis Vulg. & Ecclesiasticorum est pro *Edoxia*.

BVRGVS. Vegetius iv, 10 *castellum paruum, quem Burgum vocant.* Arcadius Lege vi Cod. de fundis rei priu. *qui collegio, vel curia,*

vel burgis, ceterisque corporibus per xxx annos sine interpellatione seruierit. Inde nostrum Burg deriuatur, nisi potius illud ex nostra lingua petatum fuit. Vtrumque vero originem ex Græco πυργος habet, quod latine scripserunt Liuius xxvii, 32. Postero ad castellum (Pyrgum vocant) copias omnes eduxit: & Rutil. Numatianus Itinerar. v. 223 pyrgique recedunt.

CAPTIVARE. Augustinus i Ciu. Dei cap. i *captiuandi cupiditas frangebatur.* Iornandes Successione Regn. cap. Lix de Pompeio, *Hierosolymam captiuauit.* Glossæ veteres: *Captiuor αιχμαλωτίζομαι.* Habet & Vulgatus Rom. vii, 23 quem locum elegantius vertit Hieronymus Epist. xxii ad Eustochium: *videt aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captiuum se in legem duci peccati.*

CASVALITER. Sidon. Apollinaris ix epist. xi. *Si quid ibi vel casualiter placet.* Fulgentius Mythol.

thol. i cap. v. *Accidens est, quod casualiter oboritur.* •

CESPITARE. Hoc verbum in mere barbaris scriberem, nisi Sertius *cespitatores equos* in Æn. xi v. 671 notasset.

COELICVS pro *Cælestis*, ignota vox veteribus. Theodulfus Aurelianensis episcopus, Carolo Magno æqualis, lib. vi Carm. v

Cœlica regna petit, fana profana fugit.

Apud alium non inueni, neque Glossaria habent. Barthius Aduers. xxxiv cap. i antiquum carmen recenset de nomine **I E S V**, quod Paulino adscribere non dubitat. In eo sub finem est:

Salue quod omnes cœlici, medii, inferi

Nomen genu flexo audiunt.

Sed dubito Paullini esse, cuius pietati non videntur, quæ præcedunt, conuenire,

*Salue, o Apollo vere, Paean inclyte,
Pulsor draconis inferi.*

N ;

Ma

Manet ergo in censu infimo, donec maior auctoritas adferatur.

COMBINARE. Augustinus Confession. lib. viii, 6 *combinati spatiantur.* Et Sidonius ix Ep. 8 *obsequia combinans numeris equata, non meritis.* Glossæ Cyrilli, *Combino, κατὰ δύοζ & γρὺν.*

COMMENDATORIVS. Idem Sid. Apollinaris ix Epist. x *litteras commendatorias* noue dixit pro *Commendaticijs.*

COMPATIOR, συμπαίω, de corporis cruciatu Alcimus Auitus lib. iii extremo ad Christum cruci adfixum :

Ceu tibi compasso, miserans succurre, latroni.

De animo Hieronym. Epist. lxxxvii & in Esa. xv *compacientis affectu.* Adde Sulp. Seuerum Dialogo iii extremo. Deriuatum *Compassio* est eiusdem Hieronymi Epist. lxxxix, c. 4 ad Augustinum. Vtroque, Verbo & Nomine, vsus etiam Tertullianus est de Resurr. Carn. c. 40. Verbo,

bo, Cyprianus Epist. xii c. i Ciceronis contra sunt, *casu alicuius affici, misericordia moueri, alicuius calamitatem existimare suam.*

COMPLICES. Isidorus lib. x *Complex, qui uno peccato vel crimine alteri est applicatus ad malum.* Prudentius in Romano v. 822

—— *complices sectæ impia.*
Et Hamartig. v. 614.

—— *de semine complicitis hydri.*
Sidonius viii Epist. xi *complicibus oppressis.* Cassiodorus v, 39 *complices exstiterunt criminis.*

COMPVTVS quis præter Firmicum dixerit, non apparet. Is autem iii, 12 *computos exercere dixit, & v, 15 computos omnes & omnes solertia disciplinas consequi.*

CONFOEDERARE. Hieronymus epist. v ad Florentium: *nascen- tem amicitiam ut Dominus confœdere dignetur, precor.* Prudentius Peristeph. in Laurentio v. 437.

Confœderantur omnia.
Orosius ii, 4 *Sabine impiis nuptiis*

confederata. Tertulliani locus Apolog. c. 2 *ad confederandam disciplinam*, dubius est, quia Frobenius *ad conferendam* edidit. Hieronymi Epist. xxii c. 15 est etiam *Confederatio*.

CONFORTARE, Lactantius iv, 15 ante Hieronymum Efaia verba cap. xxxv expresit, *confortamini manus resoluta.* Cyprianus Epist. lx c. 1 *Religio instigare nos debet & confortare ad fratrum nostra redimenda.* Augustinus Serm. xiv in festo Conuers. Pauli: *Confortatur*: [Ananias] *ne timeat timentem.* Et Macer Carm. lxxi de zedoaria: *confortat stomachum.*

CORDICITVS. Sidon. Apollinaris Epist. iv, 6 *Prudentibus cordicitus insitum est, vitare fortuita.*

CRAPVLARI Vulgatus Psal. lxxviii, 65 habet: etiam Cælius Secundus in Foro Romano, sed sine auctore.

DESOLATIO. Saluianus de Gub. Dei lib. vi n. 188 *Per hoc factum*

Etiam est, ut maior pars Romani orbis in desolationem esset. Frequens in Versione Vulgata, cuius quoque Desolatorius est Psalm. cxx, 4.

DETERIORARE. Claud. Mamertus i cap. 3 *Quidquid deteriorari potest, & corrumpi profecto potest. Symmachus iv Epist. 68 habita deteriorata rei aestimatione.*

ECONTRA. Aurelius Victor Schotti in Diocletiano: *& econtra, supplicis flagitiosi cuiusque, virtutum studia augebantur. Hieronymus Epist. xii ad Gaudentium, Aliis vero econtra videtur. Tacitus quidem Annal. xii, 47 Et erant econtra qui tantam fortune commutationem miscrarentur. Ita Pichena, Grotius, Berneggerus, & qui in Delphini Galliarum usum emisit, Iulianus Pichon, constanter legunt. At vero vitium hoc sæculi nostri est: superiori Frobenius, Lipsius & alii contra ediderunt. Pichena quidem ad Florentinum codicem provocat; docte autem Gronovius.*
Ego

Ego vero, inquit, eam Notam puto temporis, quo factum est illud exemplar: nam aucto meliore non sic loquebantur. Adde Theod. Ryckium.

ELVCESCIT. Hieronymi exemplum, quod Cælius vel Stephanus in Foro R. allegat, inuenire non potui quamquam integro tomos eius causa perlegi. In Lactantii lib. vii, 14 reperisse mihi videbar, quod pensare Hieronymi auctoritatem posset. Postquam vero MSS. libros consului, in omnibus *eluceat* inueni: etiam in vetusto libro Romæ excuso, & editione Betuleii. Quapropter temporum inferiorum aut describentium errorem putamus, quod Aldus Manutius, Mich. Thomafius, Ant. Thyfius, Seruatius Gallæus, & nouissime Th. Spark *elucescat* ediderunt. Analogia verbi proba est, quam Scioppius urgebat: sed exempla ego & auctoritatem antiquam desidero. Petrus tamen Chrysologus Serm. CLVI extremo,

ut in sequentibus clare elucescant. Et Augustinus Retract. lib. 1 cap. 13 *quod apud eos veritas elucesceret.*

EPITOMARE. Treb. Pollio in Zenobia: *Historia Alexandrina atque orientalis ita perita, ut eam epitomasse dicatur* Vegetius 1, 8 extr. *que dispersa sunt, velut epitomata conscribo.* Hinc iudicium fit de vocabulo *Epitomator.*

FORIEX. Hanc vocem Aufonius Popma Diff. Verb. & Vossius non agnoscunt Romanam. Inculcant tamen differentiam inter *Forficem* & *Forpicem* Isidorus Hispalensis Orig. lib. xx cap. 13, & Cassiodorus Orthogr. cap. 4, ut illa sit sartorum, quasi a filis; hæc tonsorum, a pilis dicta. Addit calculum Sid. Apollinaris Carm. xv

*Rupit odoratam redolenti forpice
barbam.*

Ita Wowerus, Elmenhorstius, Sauer & Sirmondus recognouerunt.

FRV-

FRUCTIFICARE Vossius & Borrichius damnant, maluntque *fractum ferre vel edere*. Illo Latinus interpres Marc. iv, 28. Rom. vii, 5 Græcum *καρποφορεῖν* vertit: & Tertullianus Rel. Carn. cap. xxii edit. Froben. *si in agnitione sacramenti fructificasset*, pro quo in Pamelina est *fruticat*. Recte. Nam opponit Tertullianus: *sed in Domini presentatione florescit atque frugescit*.

FVNDAMENTALIS. Hoc Adiectivum aliquid præsidii petit ex Sidonii *fundamentaliter* Epist. iii, 8 extrem.

GROSSVS ex *crassus* postrema Latinitate factum. Sulp. Severus i Dialog. c. xx *vestem respuit grossiorem, indumentum molle desiderat*. Adde Not. Vorstii. *Grossitudo* esse Solini dicitur cap. de Æthiopia, ubi Salmasius legit *crassitudo*.

HEREDITARE Vulgati Scripturæ interpretis. Vid. Voss. In MSS. quibusdam Cic. ad Attic. lib. xi epist.

epist. i est *hereditatem hereditasset*; quod approbat Iac. Gronovius: at ~~ut~~ ~~ut~~ Grævius aliter legendum videtur, quem adeas. Victorius de MSS. illis ita censuit, se ideo attulisse, *ut considerent studiosi, quantum etiam antiqua exemplaria aliquibus locis deprauata sint.*

HVMILIARE eiusdem est auctoritatis. Miror, ad hoc verbum, quod nudum & sine exemplo Faber posuerat, in editiones, curis Buchnerianis auctas, adrepisse, Ciceronis testimonium ex ii Nat. Deor. solennibus his verbis: *Animalia humiliata, ut cibum terrestrem facile vestris contingant.* Quisquis hæc Fabro adleuit (nam Buchneri hoc additamentum esse, nemo crediderit, nisi cui tanti viri ~~an-~~ ~~ignota~~ ~~est~~) deceptus is fuit aberrante Calepino vel eius interpolatore, qui ut aliis locis sæpe numero, oscitanter Ciceronis verba, produxerat. Nam libri, veteres, novi, quotquot evolvere licuit, sen-

sententiam illam ita in Nat. Deor. cap. XLVII exhibent: *Atque etiam aliorum ea est humilitas, ut cibum terrestrem rostris facile contingant.* Neque verbum *Humiliare* Nizolius vidit: quin potius Iac. Cellarius in Indice Nizoliano illud ex puriore sermone proscripsit. Veros autem verbi auctores damus Cyprianum Epist. VI n. 4 dicentem: *Is exaltabitur, qui se humiliaverit.* Saluianum lib. VI *ciuitas humiliatur*: Ammianum XXX, 10 *ad humiliandam celsitudinem potestatis, ubi humiliandam, insecto T, manuscripta referre, Valesii fratres adnotarunt.*

IGNORANTER Cypriani est Epist. LXIII n. 1. *ignoranter facere, & n. 13 ignoranter observare.*

INCESSABILIS, INCESSABILITER. Cyprianus Epist. LXXIII n. 17 *linguae incessabili scelere peccare.* Orosius VII, 1 *incessabilibus claudibus, nullus finis, nulla requies fuit.* & cap. 25. *Per decem annos incendiis eccle-*

ecclesiarum, proscriptoribus innocen-
sium, cadibus martyrum incessabiliter
[persecutio Diocletiani] acta est.
 Hieronymus Epist. CXXVIII ad
 Fabiolam: *Philosophi suspicantur,*
currere mandum suo ordine, & inces-
sabiliter velut rotam in suo axe tor-
queri. Vñus eodem Aduerbio et-
 iam, Martianus Capella lib. ix post
 principium.

INCESSANTER idem. Lege,
 x Cod. de Aquæductu, quæ Zeno-
 nis Aug. est, in fine mandatur: *ex-*
cubis aquæ custodiendæ incessanter in-
hereant.

INCONSIDERATIO. Saluia-
 nus sub finem lib. i de Gub. Dei
qui sola mentis inconsideratione peccas-
sent. Alii *inconsiderantia* dicunt. Vi-
 de Antibarb.

INCVRABILIS. Prosper Aqui-
 tanicus Vit. Contempl. i c. 25 *infirmi-*
mitates incurabiles, Glossæ: *incurabi-*
lis, ἀνεργάτορος. Purius dicitur
insanabilis.

INDISCIPLINATIVS, Vulg
 In.

Interp. Sap. xvii, 1 & ante hunc Cyprianus Epist. lxii n. 3 & 4, ac de idol. vanit. cap. 6 vnde *indisciplinatio* apud Cassiodor. vii, 3.

INFERNALIS a Subst. *Infernus*, dixerunt fere Christiani. Prudentius Hamartig. v. 826

— *piteasque bitumine fossas
Infernalis aqua furuo subfodit
Averno.*

Idem adu. Symmach. i v. 388 de ludis gladiatoriiis:

Hæ sunt deliciae Iouis infernalis.

Formatur ab *infernus* adiectiuo, sicut *eternalis* ab *æternus*; *perpetualis* a *perpetuus*, de quibus in Anti-barbaro dictum fuit.

INGRATITVDO. Iul. Firmicus lib. v cap. 1 de horoscopo in Aquario: *multis vita alimenta præstabit, sed erunt circa ipsum ingratitudinis vitio inquinati.* Cassiodorus v, 8 *sine ingratitudinis nauo.* At lib. 1, 30 alio sensu: *nostræ ingratitudinis pericula subire, in die Königliche Ungnade fallen.*

IN-

INOBELIENS, INOBEDIEN-
TIA. Cassiodorus II, 14 *inobedien-*
tem filium declinare pœnas non permit-
tit humanitas. Hieronymus Quæst.
 Ebr. in II Reg. I. *Saul recedens a ti-*
more Domini per inobedientiam suam
perit. Paullinus Ep. XII ad Aman-
 dum (al, XXI) n. 1 *inobedientia reus.*
 Et Augustinus Ciu. Dei XIV, 17 &
inobedientia, & inobedienter dixit.

INSUFFICIENTIA. Tertullia-
 nus ad Vxor, lib, I c. 4. *Secularis*
concupiscentia causas habet, gloriam,
cupiditatem, ambitionem, insufficien-
tiam, per quas necessitatem nubendi
subornat. Nec simplex SUFFI-
 CIENTIA, quod Tertullianus eo-
 dem loco, & Vulgatus I Timoth.
 VI, 6 habent, omnibus satis Lati-
 num videtur. Vide Vossium.

LONGANIMVS Theologorum
 est. Isidorus x Orig. memorat,
Longanimis. Et Prosper Aquitani-
 cus de Promiss, p. II cap. 31 *Longa-*
nimitas.

MASTICARE. Macer incert è
 zta.

ætatis, at non antiquissimæ, poeta
carm. LXXI.

Isiud si patiens ieiuno mastlicet ore.
Produxit Brito Philippidos VII
v. 603

—— *panemque dedit, quem pro-*
tinus ori

Appositum poterat vix mastlicare,
sed ipsa

Frusta tamen males fracta vorax in-
gurgitat aluo.

Compos. *commasticare* habet idem
Macer carm. XIV v. 36

—— *si quis commasticer illam.*

MENSVRARE. Vegetius i cap. •
25 *a centurionibus fossa inspicitur ac*
mensuratur. Glossæ veteres: *Men-*
suro ἐκμετρεῖν. Hinc deriuantur
Nomina. Claudian. Mamertus
II, 4 *finito mensurabili immensurabi-*
lis mensura non deficit. Saluianus
quoque II de Auarit. p. 54. *Mul-*
tum plane, & pane immensurabile.
Pru-

Prudentius Apotheos. v 816 [W. 883]
de Dei natura :

*Incompressa manet virtus, cui linea
desit*

*Vltima, quam spaciū non mensu-
rabile tendit.*

MERIDIONALIS. Lexica igno-
rant. Gellii plurimæ editiones,
etiam Proustii noua Parisiensis, lib.
11, 22 ita: *Meridies*, quoniam certo
atque fixo limite est, unum meridiona-
lem ventum habet. Vitiosum locum
primus sanauit Salmasius, post-
quam in optimo libro inuenit:
unum MERIDIALEM ventum ha-
bet. Addit in Exerc. Plin. f. 1248 *Vix*
puto, dictionem esse Latinam MERI-
DIONALE. Nec enim MERIDIO
dicitur; ut SEPTENTRIO. Sic etiam
Lactantio lib. 11 cap. ix sect. 9
meridiana plaga ex MSS. restitui-
mus, vbi vulgo legebatur *meridionali*:
A. Gellio autem Gronouius &
Oiselius reddiderunt *meridiale*.
Tamen apud Iul. Firmicum 11
cap.

cap. 12 inuenitur *signum meridionale* semel iterumque: qui vero ei æqualis, aut paullo inferior est, Ammianus Marcellinus xxii, 34. *Ægyptiam gentem a meridiali latere Syrtes maiores claudunt.*

MODERNVS. Barthio iudice, ad Briton. p. 595 *barbara vox*. Habent tamen, qui nomen doctrinæ & ingenii inter barbaros tuebantur. Cassiodorus Præfat. Orthogr. QOM, *moderni CVM, rectius aestimant.* Iornandes Success. Regn. cap. xci *modernus imperator.*

MOMENTALITER id est puncto temporis, Fulgentius dixit aliquoties, Vide Anti-barb.

MONOCVLVS. Firmicus sæpe dixit. viii, 19 & 22 & aliis locis. Dura vox & hybrida: mollior *Vnocolus*, qua Plautus Curcul. Act. iii. Sc. i, Accius apud. Gellium iii cap. xi, Solinus cap. de Borystene aliique vsi sunt.

MVLTOTIES qui Liuius tribuunt,

buunt, toto cœlo errant, cum Patauini historici opere epitomen, sub Hadriano. forsan confectam, confundentes. Hanc Aldus, Scheferus, Frobenius, Gryphius superiori sæculo ita excuderunt, vt lib. LVII scripserint: *multoties contra hostium eruptiones feliciter pugnavit.* Contra iam tum a Sigonio ita adnotatum est: *Vet. lib. SÆPE aduersus irruptiones hostium, quod sæpe pro multoties* Gruterus, Blancardus, Gronouii, & accuratissimus quisque editorum expresserunt. Proinde in barbarorum censum in Antibarbaro reiiciebam *multoties*; iam vero non plane quidem recipio, sed mitius quodammodo in semibarbaris exilium adsigno, quod interpretem Nouellarum Iustiniani Constitutionum, quisquis ille est, & cuiuscunque ætatis (videtur autem non nouus esse) præfat. Nouell. - xxix verba imperatoris de Aquileia vrbe, βασιλικὴν πολλαῖς διασπιν δεξαρμένη, ita vertit: *que multoties*

toties cum ipsis etiam regis certamen suscepit.

NOVERCARI pro *aduersari*, noue dixit Sid. Apollinaris vii Epist. 14 *quorum imbecillitati quodammodo nouercaretur.* Et Glossæ veteres: *Nouercari* *μητρὸς ἐξουσία*. Inde iudicatur de trito illo, *nouercante fortuna.*

NULLATENVS. Cassiodorus sæpenumero. v. g. iii, 4 *nullatenus inter vos scandala seminet aliena malignitas.* Adde eundem lib. v, 23 & legem xvi Cod. de testam. militis. Glossarium Cyrilli: *Nullatenus* *ἐδάμως*.

OCVLARITER. Sidonius Apollinar. Epist. vii, 14 *qui amicos iustificabundi non tam iudicialiter, quam oculariter intuentur.*

PINNACVLVM, id est *pinna*. Vulgatus interpres habet Matth. iv Onomasticon vetus: *Pinnaculum* *ἐπὶ πτελέως*.

PLASMARE, id est, *ingere*, *creare*, Christianis scriptoribus *usitatum*.

fatum. Prudentius Apoth. v. 933.
(Heinsf. 869)

*Vt per corpoream speciem plasmasse
feratur*

Corporis effigiem.

Hieronimus Epist. LXI c. 5 *ante-
quam Adam plasmaretur de terra. Est
a Plasma, quo etiam, sed alio sensu,
Persius & Quintilianus (vid. Buchn.
ad Fabr.) posteriores pro Commen-
to, item pro Creatura, vsi sunt.*
Auson. Epist. x principio:

*Si qua fides falsis unquam est ad-
hibenda poetis,*

Nec plasma semper allinunt.

Alcimus Auitus lib. II v. 89

— *subitum consurgere plasma,*
id est, hominem creari. Tertullia-
ni adu. Iudæos cap. 2 est *plasmator,*
id est, creator.

POMPARE. Sedulius Exord.
Carm.

*Grandisonis pompare modis, tragi-
coque boatu.*

POMPOSE. Sidonius lib. III
O 2 epist.

epist. xi *pompose scribere*, hoc est, magnifice, splendide.

PRIMICERIVS a tabellis *ceratis*, id est, rationibus, seu epistolis; aliis simpliciter a *Primus* videtur dictus. Hinc *primicerius notariorum*, Paulus Diac. iv Langob. 34. Maxime inter militares dignitates. Ammianus xix, 6 *ex primicerio protectorum tribunus*. Adde Vegetium ii, 21. Hieronymum Ep. Lxi cap. 5 & leg. ii Cod. de Domesticis & protectoribus. Ipsa dignitas *primiceriatus* dicta fuit. Cassiodor. vi, 7 & 16.

PRIMORDIALIS. Ammianus xxx ineunte, *hanc primordiale[m] fuisse novimus causam*. Vnde Claudianus Mamertus de Anima ii, 5 *primordialiter* formavit. Vossius ad longa inferiora tempora abiecerat.

PROFICVVS. Cassiodorus i, 39 *quibus mora potest esse proficua*. Præterea Gregorio & Anselmo tribuit Vossius: Lupo Ferrariensi Epist. iv Carolus du Fresne.

PRO.

PROPALARE. Claud. Mamertus 1, 2 *quod ista pagina propalatur: & c.* 8 quidam libri habent *propalata veritatis*: Orosius vi, 5 *contra edictum propalata & publica veritatis*. Etiam Apollinaris ix Epist. xi, cuius verba adduximus supra in *Ferriari*. Et Augustinus Epist. cxxxvii *diuinitus propalatum*.

PROTECTIO. Saluianus lib. vi de Gubernatione Dei, prope finem, *Vouemus domino nouam vitam, & ad obtinendam eius perpetuo protectionem, nosmet ipsos Deo sacrificamus*. Et Augustinus Serm. 1 Fer. ii Pentecost. *Spiritus S. custodia & protectio*. Et multo antiquior etiam Cyprianus Epist. x n. 3 habet *diuina protectio*. Minus tamen hoc eruditus probatur: at *Protectior* frequens in media antiquitate Latina.

PVSILLANIMIS. Claud. Mamertus 1, 20 *ingentis corpulentia pusillanimes*. Glossæ, *Pusillanimis* ὀλιγόψυχος.

QUANTOCIVS. Sulpic. Severus

III Dialog. cap. v *Discede quanto-
cuius. Et Licinius imperator litteris
publicis apud Lactantium de Mort.
persec. c. 48 sect. 8 Christianis quan-
tocius reddant. Et Mamertus Grat.
act. ad Iulian. c. 2 quantocius dixit.*

RECOMPENSARE ad barba-
ros a plerisque relegatur, & nolim
ego patronus eius esse. Nihilomi-
nus dubitare me faciunt Nouellæ
Constitutionis LXIX extrema ver-
ba, *qui magnam nobis pro eis recom-
pensationem dabit.* Ita interpretes La-
tinus, quisquis fuit, vocem *ἀπολο-
γίας* transtulit. Si iusta ætas inter-
pretis, & salua scriptura; pro *Re-
compensandi* verbo videtur adferri
præsidii aliquid, quamquam imbe-
cillum & debile est. Non sine caus-
sa de scriptura dubitavi. nam eo-
dem in verbo nuper deceptus fui.
Hieronymus Epist. xxv ad Paul-
lam super obitu Blæfillæ cap. i edit.
Colon. 1616 ita habet: *Iniquum lon-
geui patris innumera delicta in inno-
centem infantiam recompensare.*
at

at in Frobenii Basileensi est *repen-
sare.*

RECTITVDO. Tertullianus
adu. Marcion. lib. v, 3 ex Esa. xl,
*tortuosa & aspera in rectitudinem &
campos.* Augustinus Hieronymo
Epist. ix extr. *Heretici rectitudinem
fidei christiane deprauare conati sunt.*
Idem Ciu. Dei xxi, 15 *Si natura hu-
mana in rectitudine, in qua facta est,
perstitisset.* Cassiodorus Orthogr.
rectitudo scribendi. Aggenus Vrbi-
cus in Frontin. post principium :
*Rigor (i. e. ῥυθμός) sua rectitudinis
naturalis nomen accepit.*

REFIRMARE Sex. Rufi est cap.
xiv, & Britonis iv v. 227.

SCHOLARIS pro eo qui artes
liberales in schola discit, veteres
non dixerunt. Immo ne vetustissi-
mum quidem vocabulum est, sed
cadens demum Latinitas, sicut *Scho-
las* ad militum classes referebat, (vn-
de Ammiano sunt *schole palatinae &
protectorum* xiv, 22 *schola prima scu-
tariorum* xxvi, 2 *schola domesticorum,*

ibid. c. 10) ita militantes in sacro palatio vocauit *scholares*. Sulpic. Seuerus Vita Mart. c. 2 *inter scholares alas sub rege Constantino militauit*. Idem nomen video de artibus humanioribus vsurpatum ab Hieronymo ad Damasum Epist. cxxv *quæst. 2 nec aures Quintiliani flosculis & scholari declamatione mulcenda*. Fulgentius præfat. lib. 1 Mythol. *scholaribus rudimentis tumidas ferulis gestaueram palmas*. Tandem studiosos artium Fridericus imperator, *scholares* dixit Constitutione, quæ titulo Cod. Ne filius pro patre, subiicitur: *omnibus, qui caussa studiorum peregrinantur, scholaribus &c.* At Scholasticus subst. antiquum. Petronius: *Ingens scholasticorum turba in porticum venit, ut apparebat, ab extemporali declaratione nescio cuius.*

SEPTIMANA Subst. pro Hebdomas vel Hebdomada antiquis testimoniis probari adhuc non potuit. Cod. Theod. Lege v Spectac. Valens & Gratianus AA, *Dominico, qui septi-*

septimana totius primus est dies. Vulgatus interpret 11 Maccab. xii, 31 pentecosten Ebræorum more vocavit diem solennem septimanarum.

SIGNANTER, id est, *ἰμφοῦ.* *κῶς*, Hieronymi vox i adu. Iovinian. extr. *Signanter & proprie supra dixerat: Qui ducit uxorem, non peccat. & Quæst. in Genes. xvii Signanter in Ebræo habetur, Non vocabis nomen eius Sarai.*

SVFFICIENTIA. Vide supra *Insufficientia.*

SUPREMITAS. In classe cadentis Latinitatis posui vocem *Summitas*, quod inde ab Antonini ætate hæc recepta fuit: at *Supremitas* quæ dixerit ante Ammianum, nondum inuenio. Is autem xxxi, 39 scripsit, *nec Valenti sepulturam, qui supremitatis honor est, contigisse.* Claudian. Mamertus iii, 13 Plur. *supremitates* habet.

VERNALIS pro *Vernus*. Augustinus vii Ciu. D. cap. xxv *propter vernalem quippe faciem terra, quæ ce-*

teris temporibus pulchrior. Venant. Fortunatus lib. viii carm. ix *tempore vernali.* Seruius in i. Georg. v. 100 *vernali & aestiuo tempore.* Cl. Munkerus ad Fulgent. p. 10 etiam Tironem libertum aduocat, qui in Notis suis *vernalis* a vere nominatum habeat. Mihi vero aliud non tasse ille Tiro videtur. Nam p. 113 hoc ordine vocabula, ut Gruterus edidit, recenset: *Ver, Vernum, Vernula, Vernalis, Vernaculus, Primum Ver,* atque ita medium *vernalis* est inter *vernula* & *vernaculus*, quorum utrumque est ex *verna* notione, non *veris*. *Vernalis* autem pro *vernalis* bonum & antiquum est. Inscriptio apud Gruter. p. 608 n. 9 A V G G. VERNALI. Vnde *vernaliter* apud Horatium est ii Satyr. vi v. 108.

VISIBILITER. Paullinus hoc Aduerbio usus est, cuius verba superius in *Inuisibiliter* produximus. Si quis pariter velit ad classem restitutorum vel latinitatis cadentis reducere, per nos liceat. Olim in hac classe

classe posuimus, quia auctor non succurrebat, qui eo usus fuerat, præter Paullum Diaconum in Anastasio scribentem: *veniente subito ignito cœlitus iaculo visibiliter combustus est.* Adiectivum vero *visibilis* antiquum est. Plinius xi, 37 siue sect. 54, *oculi, ceu vasa quadam, visibilem eius partem accipiunt: ubi visibilem, est visiuam, facultate videndi præditam, sicut penetrabile telum est, quod vim penetrandi habet.* Passive Prudentius Apotheos. v. 123

Est invisibilis donum Patris, edere,

Natum

Visibilem.

Invisibilis autem supra cap. ii Cornelio Celso vindicauimus.

In hoc censu etiam sunt dictiones quædam coniunctæ, ut SANGVINEM EFFUNDERE de simplici homicidio, quod tamen de morte pro patria, item de ingente strage non insolens est bonis scriptoribus. Cic. pro Mil. cap. 37 *fortissimi viri, qui multum pro rep. sanguinem*

rem effudistis. Curtius III, II de prælio ad Issum, *Tum vero multum sanguinis fusum est.* Vnum exemplum obstare videtur Vulcatii Gallicani, in Cassio cap. 12 quasi de vnus cæde scribentis: *nullius fundatur viri nobilis sanguis.* Sed & hoc loco ad antecedentium Cæsarum plus quam barbaram crudelitatem & innumeras cædes respicitur.

Huius quoque ætatis sunt A M O D O Hieron. Vita Hilarionis: E X N V N C Ammian. XXI, 17 E X T V N C Alcim. Auitus lib. III *vers.* 315. D E I N T V S Cassiodor. II, 39 A B I N V I C E M Cyprian. Epist. LXIII n. 9. Hieron. Epist. XVIII. A D I N V I C E M Augustin. lib. VII cap. vlt. de Trinit. de *Econtra* supra diximus) sine veterum exemplo ad modum scite compositorum *Abinc, Debinc, Deinde, Derepente, Inante, Inibi*, formata.

Supersunt etiam *Significationes* semibarbaræ.

CREPVSCVLVM pro Diluculo videri potest hoc prolapsæ Latinitatis

tatis tempore dici cœptum. Nam Seruius in *Æn.* ii v. 268, nisi error librarii subest, de Crepusculi vocabulo tradit: *licet utrique tempori possit iungi; vsus tamen, ut matutino iungamus, obtinuit.* Quod etiam Barthius ad Rutilium p. 101 tuetur, sed non alia auctoritate firmatus, quam huius Rutilii, qui v. 277 Itinerarii

*Roscida puniceo fulsere crepuscula
cælo,*

& Paullini Nolani, qui vi Natal. v. 406 dixit:

Iamque rubescebant rumpente crepuscula mane.

Contra Columella xii, 1 Plinius xix, 25. Censorinus c. 24 inter mane & crepusculum distinguunt, & hoc, tanquam vespertinum, Dileculo semper opponunt.

DISCVRRO, DISCVRSVS de Sermone, supra Theodosianum æuum vix ascendunt. Ammianus xvii, 6 *super quo nunc pauca discurrem.* Lindebrogius in Comment.

addit e Lege i Cod. Theod. de rap. virg. *redemptique discursus pœna immineat.*

FESTIVITAS pro solennitate, festi diei. Nam priscis Latinis fuit *lepor & iucunditas.* Vid. Cic. de Inuent. i c. 18 & Epist. ix, 15. Lampridius autem in Alex. c. 63 scripsit: *addita festiuitas matris nomine, atque ipsius, qua hodieque Rome religiosissime celebratur natali eius die.* Prosper Aquitan. iii Prædict. c. 38 *cum sancta Pascha solennis ageretur festiuitas.*

FORNICARI pro *scortari* Vulgatus & Ecclesiastici sæpe dicunt. *Fornicare* Latine est fornicem facere. Plinius xii, 5 *fornicato ambitu.* Vitruuius etiam Composito vti-
tur, v, 5 *cellæ conformicentur*: & iix, 7 *stru-ctura (aquæductus) conformicentur, ut minime sol aquam tangat.*

FORNICATIO. Huius Deriuati est eadem conditio. Hieronymus apolog. ad Pammach. cap. 3 *virginibus ob fornicationis periculum conce-*

dit nuptias. At Seneca Epist. xc v Societas nostra lapidum fornicationi simillima est: quæ casura, nisi inuicem obstarent, hoc ipso sustinetur.

RANCOR, id est odium, acerbitas animi. Antiquioribus enim fœtor ex corruptione est, e. g. Palladio 1, 20. At Hieronymus Epist. xxxvi ad Castorinam, *veteri rancore deposito*, id est odio, ut ipse explicat: & Augustinus ad Hieronymum (inter Hieronymi epistolas xciii) *absque rancore stomachi.*

TENEOR cum Infinitiuo, pro *Oportet*, huc refertur a Vorstio, cuius antiquiorem auctoritatem vir doctissimus non habuit, quam Institutionum Iustinianearum. Ante hunc etiam Schoppius improba-uerat de Stilo Hist. p. 192. Videtur autem detruncatum ex Latina formula, *legibus teneri, iureiurando teneri*, quanquam neque his Infinitiuum addere licitum est. Latini dixerant *officium, munus, partes sunt &c.*

TRIBVLARE pro *adfligere*, metaphora noua Ecclesiasticorum. Hieronymus, quisquis auctor est, Commentarii in Psalm. cxx, *1 Nemo tribulatur, nisi qui viuere in Christo pie desiderat.* Ita sæpe apud Vulgatum *tribulatio* pro ærumnis & afflictione. Veteribus *tribulare* est tribulo comminuere. Vide Catonem R. R. cap. xxiii.

VNIO pro Coniunctione prope abest a barbarie. Non solum enim significatio mutata est, quia veteribus semper *gemma* notat; sed etiam genus atque sexus, & ex virili facta vox feminea. Hieronymus ad Damasum Epist. cxlii videtur ita vsus: *hac duplici forcipe, quæ vnionis retinetur virtute, carbo comprehensus mittitur ad prophetam.* Etiam Epist. xxii c. 8 pro Vnitate: *ad similitudinem Dei, vnione (Maria) factura.*

Denique antequam ex hac classe decedamus, visum fuit etiam aliquid monere de formula ex Vulgata Scriptu-

Scripturæ Versione in vsum familiarem deducta, DE DIE IN DIEM. Esse Ebraïsmum, nemo ignorat, nisi qui hospes est in sacris litteris. Apud Latinos quidem, inueniuntur, quæ huic videntur similia, sed reuera non sunt. Liuius v, 48 *diem de die prospectans*, hoc est, multos dies expectando traducens. *In dies* etiam dicunt, & *in diem*, sed sensu diuersissimo. Illud æquiualeat vulgato, *de die in diem*: hoc est, *ad unum diem, non ultra diem*. Prius confirmat Cicero Philipp. i c. 2 *cum serperet in Vrbe infinitum malum, idque manaret in dies latius*: & Epist. vi, 4 *in dies singulos magis magisque opinio hominum confirmatur*. Posteriorius illustrat Ouidius Metam. ii v. 47

———— *currus petit ille paternos,
Inque diem alipedum ius & modera-
men equorum.*

Adfinis huic phrasis est *in diem vivere*, de qua ad Cic. Philipp. ii c. 34 aliquid notauimus. Terentii vero

verò *in diem*, Eunuch. act. v. scen. vii v. 19, est, Donato interpretante, *in longam dilationem*.

CAPVT IX

DE

Græcismis & Poetico dicendi genere.

GRÆCISMOS non quosuis intelligo, sed illos: qui in soluta oratione duri sunt, & a consuetudine, Aurei præsertim sæculi, abhorrent. Poetis etiam licitum est dicendi genus, & gratiam habet sæpe singularem, quod, si sermoni non ligato inferas, ingratum illum atque iniucundum efficies. Itaque hæc etiam fugienda sunt ei, qui sermonis soluti puram elegantiam adfectat. Coniungimus autem vtrumque genus, quod plerique Græcismi, quos notaturi sumus, poetis sunt liciti, immo suaves & elegantes. Qui.

Quidam vero ineptiores sunt, prolapsæ Linguæ temporibus in ciuitatem Latinam adducti, vnde in hunc impuræ Latinitatis locum coniecimus. Paucis quoque hanc rem exemplis expedimus.

AEQVOR proprie quæuis planities est. Cicero Diuin. 1 c. 42 *ut Ægyptii, ut Babylonii in camporum patentium aquoribus habitantes.* Columella viii, 17. *Sin locus pari libra cum equore maris est.* Hinc poetis absolute significat *Mare*. Cicero Acad. ii. *Fragm. apud Nonium: quid tam planum videtur, quam mare? e quo etiam equor illud poete vocant.* Sic Statius 1 Achill. v. 29 dixit *angustum equor*, ist est, fretum. Silius Italicus xv v. 152.

Cæruleum descendit classis in equor. Horatius 1 Oda xxxi *equor Atlanticum.* In prosa minus tolerabile est, quanquam Pomponius Mela lib. 1 c. 2 scripsit *media (Asia) nostris aquoribus excipitur*, hoc est, Ponto, Ægæo, Mediterraneo.

AMA-

AMARE Græcorum consuetudine pro *Solere*. Hesiodus de Diebus v. 20.

— Φιλέει δὲ καὶ κέρωμα βάζουν. Zosimus lib. i extr. οἷα συμβαίνει Φιλεῖ. Pzanius Eutropii metaphrastes iii, 6 n. i ὅπερ ἐν τοῖς τοιάτοις Φιλεῖ. Poetæ Latini id sæpe imitantur, vt vel ex solo Horatio notum est, lib. ii Od. iii v. 10 lib. iii Od. xvi. Ad solutum sermonem veteres non transtulerunt, idque in insolentibus Sallustii (c. 34 lug.) notauit Quintilianus ix, 3 Plinius autem, Tacitus, & Apuleius ita nonnunquam loqui non recusarunt, vt in Antibarbaro ostensum. Addo Ausonium ad Gratian. cap. i dicentem, vt *apud Deum fieri amat*.

CEV, Rob. Stephano iudice magis est poetarum, quam oratorum. Virgil. iii Georg. v. 194 *ceu liber habenis*. Horatius iv Oda iv v. 43 *ceu flamma per tēdas*. Plinius tamen sæpe eo vsus est, v. g. ix, 7 *defossa viuunt, ceu talpa*.

CLVEO

CLVEO vel CLVO, id est, nominor, Nonius ex Lucilio, Ennio, Pacuio, & Varronis quadam Satyra probat. Plautus addi potest & Lucretius, ut sic non solum poeticum videatur, sed etiam antiquatum. Posteriores reduxerunt. Prudentius Psichom. v. 2 de Christo :

Qui patria virtute cluis propria quo.
& Catthem. iv v. 37

Sic olim tua praecluens potestas

• COELI. Pluralem hunc poeticum, an christianum dicam, dubius sum. Ex poetis profanis fere solus Lucretius ii v. 1095 eo usus est. Inter Fragmenta Ciceronis vulgo leguntur ex eius Hortensio hæc verba : *Epicurei plures volunt esse cælos.* Desumpta sunt ex Seruii Comment. ad Æn. i v. 331. Sed Vossius de Vitiis lib. i cap. 37 contendit, verba Seruii corrupta esse, & transposita, neque Ciceronis nomen ad hanc sententiam pertinere. Accedit auctoritas Cæsaris, qui libris de Analogia, ut Gellius xix, 8 testis est, nega-

negavit *cælum* multitudinis numero appellari. Cicero nihilominus lib. 18 Epist. xxvi *re putabat quasi-
turum, vnum cælum esset, an innume-
rahilia*. An vt ineptam & ridicu-
lam quæstionem proponit? Quid si
vero Philosophis ita liceat dicere,
sicut de *Mundis* infinitis quidam
disputarunt, cum tamen vnus sit
& singularis? Nos autem hoc loco
de frequentiore vsu verbi agimus,
quo *cælorum* in omni fere sermone
fit mentio, v. g. cum nostrates di-
cunt *regnum cælorum, in cælis*, & his
similia, quas formulas Christiano-
rum ex Ebraismo potius & stilo
Biblico, quam pura latinitate pu-
tamus ortas esse. Cum enim multi
Orientis populi multitudinis nu-
mero *cælum* pronuncient; Græci
scriptores Noui Testamenti, Vete-
risque interpretes id æmulati sunt,
quos presse secutus est Vulgatus
Latinus, alique Ecclesiæ doctores
magno numero. Tertullianus de
Baptismo c. 8 *columba sancti Spiritus*
aduo-

*aduolat, pacem Dei adferens, emissa
de cœlis. Prudentius hymno, qui S.
Laurentio facer est, v. 371*

*Stephanus per imbrem saxeum
Cœlos apertos intuens.*

Adde Sedulium, quem supra in
Gebenna adduximus.

EST pro *Licet* ex Græcorum
imitatione poetis vsitatum; rarum
in soluta oratione, præsertim æuō
antiquo & aureo, vt apud Liuium
XLII, 41 *verbo obiecta verbo negare
sit*. Inclinata ætas minus ab eo ab-
horruit. Plinius xxxvi, 5 extr. *for-
micarum* (quas Callicrates ex mar-
more fecerat) *pedes atque alia mem-
bra peruidere non est*. Sic Gellius XII, 9,
& Ammianus xxx, 12 *videre est*,
quod hodierno die, sed sine suffra-
giis antiquiorum, vsitatisimum
habetur.

EXOTERICVS, peregrinus.

GENITOR, GENITRIX. Lau-
rentii Vallæ III Eleg. c. 70 obserua-
tio

tio est, poetis, quam oratoribus, frequentiora esse. Per translationem tamen Cicero Vniuers. c. 8 dixit de animo, *nihil ab optimo & praestantissimo genitore melius procreatum.* & Columella in præfat. Operis: *primus ille mundi genitor.* Proprie Valer. Maximus V, 4 exempl. 7. *genitrix.* pro Matre: & Symmachus Epist. x, 54 *diuus genitor tuus.* Probatoria tamen sunt poetis, ut diximus. Sic Præceptum de honorandis parentibus eleganter Iuuenecus in Matth. xix ita transtulit:

*Sit genitor genitrixque tuo sublimis
honore.*

LETVM pro morte Cicero raro dixit, v. g. ad Att. Epist. x, 10 [al. 12] *vide, quam turpi leto pereamus.* Poëtæ contra frequentissime. Quæ causa fuit, ut vir nuper exactissimus, Aug. Buchnerus, Commut. rat. dic. pag. 231 scripserit: LETVM pro MORTE ponere,

nere, poetis, quam oratoribus, magis receptum.

NATIVS, GNATIVS pro *filio*.
 Laur. Valla c. 1 eandem sententiam de his fert, quam de *Genetrix* iam tulerat. Cicero pro Plancio cap. 24 habet quidem *atas gnati*, sed alludit ad veteris poetæ verba, quæ mox subiicit. Quintilianus etiam Proæm, lib. 1 Inst. Orat. *erudiendo nato tuo non inutiles fore libri videbantur: sed simul digna sunt, ut apponamus, quæ P. Pithœus adnotavit. Non adducor, inquit, ut credam, Quintilianum, Latini sermonis observatorem fœverum, vocem istam (quæ omnino poetarum est, non oratorum) usurpasse.*

PESTIS pro Pestilentia. Populæ & aliorum observatio est, *pestem*, quodcunque malum: *pestilentiam* demum morbum contagiosum sonare. Ita, fateor, in prosa est, ut non facile *pestis* vocabulum inveniatur, quin translate significet. Sic *pestis reipublica, pestis studiorum,*

P

& alia

& alia infinita exempla. In metro aliter. Virgil. iii Georg 471

Quam multa pecudum pestes nec singula morbi

Corpora corripunt.

Lucanus lib. vi v. 89

fluida contagia pestis.

POTIS, POTE. Cicero quinques habet: bis ad Atticum, xii, 40 *qui pote est?* xiii, 38 *hoc quidquam pote est impurius?* Sed in his epistolis loquitur saepe *δεχάινως* & verbis Comicorum veterum. Deinde Tuscul. ii c. 16 sed verbis Ennii: & de Clar. Orat. c. 46, ex ore aniculae. Tandem, ut poeta, in Arateis de Cepheo:

Hic caput, & superas potis est demergere partes.

Poetis vero antiqua vox non indecora est. Virgilius enim xi, 148

At non Evandrum potis est vis vlla tenere.

Catullus ad Ortalem Carm. LXVI v. 3

Nec

*Nec potis est dulces Musarum ex-
promere fœtus.*

Arator in Act. Apost. II.

— *nisi diligis, inquit,
Cernere quem potis es fratrem.*

PVBES, hoc est, iuuentus, iu-
uenes, ex eo censu est, vt prosc̃
scriptores non pudeat eius voca-
buli : lubentius tamen permittant
stilo poëtico. Cicero pro Milone
c. 23 *omnem Italia pubem*. Liuius I, 9
Romana pubes. Sed rarum hoc in
oratore & historico : poetis vsita-
tissimum. Virgilius Georg I, 343
pubes agrestis : Tibullus I Eleg. I, 23
rustica : Horatius III Oda V *capti-
ua* : Lucanus II, 473 *fortissima* : Va-
ler. Flaccus VII, 77 *armata* : Statius
v Silu. II, 68 *effrena* : Silius XI, 105
sobria : Claudianus Gild. 416 *electa
pube maniplos*.

SALVTOR pro vocor. Horatius
de Arte v. 87 — *poeta salutor*.

Iuuenalis Satyra X v. 90.

Vine salutari sicut Scianus?

P 2

Sed

Sed in his etiam ad ritum *salutantium* veterum respicitur, vt vix poetas fauentes habeant, qui hoc verbo simpliciter pro *appellari*, abutuntur. Curtius quidem VI, II *Iouis filium salutari iussit*: at diuina adoratio vna significatur, sicut *salutare Deos* est *venerari*, Ciceroni Rosc. Am. c. xx. Terentio Phorm. Act. II Scen. I v. 81 & Martiali XII Epigr. LXXVIII

Multis dum precibus Iouem salutat.

VENIT pro *Est* sequente Participio Passiuo Futuri temporis. Tibullus I Eleg. II v. 77

Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo.

Prodest, cum fletu nox vigilanda venit.

illustris Scaliger in Commentario interpretatur, *vigilanda est*, & huc aduocat illud Propertii I Eleg. v extr.

— *non impune illa rogata venit.*

Plura exempla Senecæ, Ouidii, Claudiani, Alcimi, addidit diligentiss.

tissimus Buchnerus ad Fabri Lexicon, sed simul subiecit: *Hoc poeticum est*. Hinc iudicari potest de vulgatisimis formulis, *considerandum venit* & similibus.

Sunt etiam quædam EPITHE-
TA in carminibus elegantia, a stilo soluto aliena. Verbigratia *auricomus, fatifer, noctiuagus*. Adi laudatum Buchnerum de Commut. rat. dic. p. 231. Nec tamen omnia sunt respuenda, sed ea tantum, quæ ab usu bonorum auctorum abhorrent: cetera, oratori cum Poeta communia, minus est quod fugiamus. Cicero Epist. iv, 3 *pestiferum bellum* dixit: Liuius ii, 47 *mortifero vulnere*: idem Præfat. Operis, *Hoc est in cognitione rerum salubre ac frugiferum*: Columella vii, 12 extr. *arceatur letifer morbus*. Plinius x, 19 *altiuole aues*: idem xviii, 25 extr. *somnifera vis*: xxxvii, 10 *somnificamenta*.

Græcismis in oratione soluta ingratissimis adnumerari solet D A T I V V S

cum Verbo Passiuo constructus. Itidem poetis hic Casus licitus, sæpe etiam iucundus est, vt *non cernitur ulli*, & similia : oratoribus & historicis durus & insuetus. Participiis tamen aliquid indulgent: Cicero Att. Epist. xiii, 24 *ego audita tibi putarum*. Tacitus xi, 27 *audita scriptaque senioribus, tradam*; minus vero ceteris Verborum Modis, & non nisi rarissime, quale est illud Ciceronis Offic. iii c. 9 *Honestæ bonis viris, non occulta quaruntur*: & Suetonii Domitian. i *scrutantibus deprehendi non potuit*. Sed hæc rarissima sunt, vt dixi, nec facile imitanda. Si enim crebrius vsurpaueris, stilum a natua indole ad inamoenam peregrinitatem detorquebis.

Est etiam Græca consuetudo, qua Nominibus (adiectiuis & Substantiuis) Infinitus Modus adiungitur. Magna & hoc loco poetarum est licentia. Horatius i Od. i

— *indocilis pauperiem pati*.

Virgilius Eclog. v extr.

& erat tum dignus amari.

Eclog. x cantare periti.

Tibullus iii Eleg. ii extr.

*Lygdamus hic situs est, dolor huic &
cum Neera*

Coniugis erepta, caussa perire fuit.

*Causa perire, hoc est, causa per-
eundi, ut etiam Muretus in Com-
mentario interpretatur.*

*A Poetis ad solutæ orationis au-
ctores manavit, sed minore gratia.*

*Quintilianus x, 1 Lyricorum Hora-
tius fere solus legi dignus. Gellius vii,
17 quæ digna quari tractarique sint.*

Tacitus xiv, 60 canere tibiis doctus.

*Etiam pro Gerundiis: Nepos Ly-
sand. c. 3 iniit consilia, reges Lace-
demoniorum tollere. Liuius vi, 18*

*tempus est maiora conari: Plinius
Paneg. c. 59 Sed iam tempus est te
ipsi consulatui prestare. Solinus*

*cap. x [al. 15] Nunc in Thraciam
locus (est) pergere. Hæc ut rariora
notanda sunt, non temere ad ora-
tionem profam adferenda.*

Sunt & alij Græcismi, ineptiores

& intolerabiliores, præsertim extra
 poësin, quos ruens fere Latinitas
 ad vsum traduxit; ob id maiore
 studio a sermonis puri studioſis
 declinandi. Nempe cum Infinitivus
 pro Supino ponitur; vel pro Con-
 iunctiuo, quem Particula *VT* præ-
 cesserit. Exempla prioris sunt
 hæc: Gellius xvi, 19 *proficiscitur ter-
 ras intlytas, Siciliam atque Italiam,
 visere*. Hyginus Fab. xxvii *iniuriam
 patris exsequi venisse: & Fab. lxxxviii
 ad flumen exit sanguinem abluere*.
 Posterioris insolentiæ argumenta
 habet idem Hyginus Fab. clxvi *in-
 stigauit Vulcanum, Mineruam petere
 in coniugium*. Spartianus vita Cara-
 callæ c. 2 *fratrem in palatio fecit occi-
 di*. Arnobius i p. 10 *fame plurimos
 emori fecerunt*. Imprimis durum, &
 forsitan solæcum est, verbis *Peten-
 di, Monendi* & similibus, subiicere
 Infinitiuum, quod tironibus nostris
 perquam vsitatum est, quia verna-
 cula cum Græca lingua in hac re
 amice conspirat. Hyginus Fabu-
 la

la CXCIV cum petiisset, per civitatem
 artem suam illustrare. Ammianus,
 miles Græcus, extremo opere:
*Quos id adgressuros, procudere linguas
 ad maiores moneo stilos.* Cassiodorus
 1, 39 reuerti se ad lares proprios sup-
 plicauit. Hæc de Græcismis suffi-
 ciant: ad Barbarismos & incertæ
 auctoritatis Latinitatem propera-
 mus.

CAPVT X

DE

*Latinitate barbara, aut
 incerta.*

QUORUM nulla constat auctori-
 tas, quæ superior, saltem
 æqualis fuerit Catoli Magni tem-
 poribus, in Barbarorum classem,
 saltim suspectorum, coniicimus,
 apud singula commonituri, quo pa-
 cto latine exprimi possint, atque
 ita Barbarismus euitari.

ABBATISSA. Dux & rectrix vir-

ginum Deo sacrarum : aut reducat-
tur ad unam classem, si alicuius aucto-
ritatis putas esse, quæ Hieronymi
Tomo ix in falso attributis conti-
nentur, in quibus aliquoties *Abba-*
tissa occurrit. Vide Indic. Hieronym.

ABBREVIATURA. Notæ, scri-
pturæ compendium. Sueton. Tito
c. 3 *notis velocissime excipere.* Cicer.
Att. Epist. xiii, 32 *Ἀπὸ συνήθειαν scri-*
bere.

AEQUIPOLLENTIA subst. ut
nouum, Philosophis relinquatur.
Equipollens autem, adiectum no-
men siue participium, Apuleii est,
qui de Philos. Plat. lib. iii, siue de
Categ. Syllogismo, aliquoties *pro-*
positiones equipollentes dixit.

AGONIZARE, *animam agere*,
Coelius Ciceroni viii Ep. 13. Nec
Agon valde probatur pro mortis lu-
ctamine, quanquam Iuuenius Hi-
stor. Lazari Ioann. xi habet,

Nuncius adueniens narrat sub agone
iacere

Dilectum Christo iuuenem.

Sic *Agon* pro praelio, duriore Gracismo, Alb. Aquens. vi, 43 & Guith. Tyrius sæpe.

ALIQUALITER, quodammodo, aliquatenus.

ANGVSTIARE, *ängstigen*. Aquensis de Bello Sacro i, 30 ii, 33 iii, 4 & *urbs angustata* vi, 5 Verum *angustare* bonum est. vid. Senec. ad Helu. c. 6.

ANIMALCVLVM, bestiola. Cicero ii Nat. Deor. c. 48 *disimillimis bestioliis communiter cibus quaritur*. Columella xi extr. *remedio aduersus bestiolas vti*. Palladius i, 19 *animalia* vocat, quæ grana arrodunt.

APTITVDO,abilitas. Nonius quidem *Ineptitudo* adfert, sed sine auctore.

ARCHIVVM, *Tabularium* Cicero pro Arch. c. iv vocat.

ARMISTITIVM, induciæ.

ASSISTENTIA, auxilium, præsentia.

ASVEFACTIO, consuetudo, usus.

BALBVTIES, hæſitantia linguæ.

Cic. Phil. III c. 6 *qui [Bambalio] propter hæſitantiam lingue, ſtuporemque cordis, cognomen ex contumelia traxerit.*

BENEFACTOR. Nihil pro hac voce a Schoppio & Vorſtio aſſertur, quam analogia Plautini *malefactor*, quod vel ipſum in Plauti obſoletis ſcribitur, quia nemo ſequentium imitatus eſt. Analogia autem non ſufficit, niſi accedat auctoritas. Dic ergo *beneficus, bene meritus de te*, aut Græca voce *εὐεργής*. Inſcriptio apud Sponium Miſc. Erud. Ant. p. 265 videtur ſuſpecta.

BIBLIOTHECARIVS, bibliothecæ præfectus, a bibliotheca. Neſcio, an talis ille fuerit, de quo Cic. Epift. XIII, 77 *Dionyſius ſeruus meus, qui meam bibliothecam multorum nummorum tractauit.* Scio equidem, *anagnoſten* Manutio videri.

BOATVS, mugitus.

BOVINVS, bubulus.

CAMBIVM, collybus, commu-

tatio pecuniarum. At *Cambire* habet Apuleius in Apolog. & Charisius lib. iii bis, idque semel per *ματο*, iterum Græce per *αματόμα* interpretatur.

CARENTIA. Ita delicatiores *σηπον*, ut Scaliger censet de causis. L. L. cap. LXIX, interpretari malunt, quam cum Cicerone *priuationem*.

CARMINICVS, CARMINICE, metricus, ligata oratione.

CERTITVDO. Aliquando vindicaui Ammiano Marcellino lib. xxx post princip. *in cuius fidei certitudine mansit immobilis*. Postquam Valesios notasse vidi, abesse a MSS illud vocabulum, mutavi sententiam, & alia testimonia, antequam recipiam, exspecto. Vid. Anti-barb.

COADIVTOR. Albert. Aquensis II, 32 vsus est. Sufficit *Adiutor*.

COINCIDO, simul incido, concurro. Guil. Tyrius I, 2.

COLLIMARE, collineare. Frustra obicitur Cicero II Diu. c. 59. quia

quia meliores libri omnes habent *collineet*, Etiam Gellii ix, 1 sunt, admodum variantes lectiones, *collines*, *collinias*, *conniueas*. Apuleii ix extr. *collimatis oculis*, emendat Præcius his verbis: **COLLINEATIS** *excusum volui*.

COMITISSA. Comes illustrissima.

COMMENSALIS, conuiCTOR. Cicero filius xvi Ep. xxi *Vtor familiaribus & quotidianis conuiCTORibus, quos secum Mitylenis Cratippus adduxit*. Add. Ouid. iv Pont. iii v. 15.

COMPATER, Borrich. sponfor fidei. aliis pater lustricus, em Pate. At pro *Geuatter* / baptismi fœdere coniunctus, aut simili modo, si res illa omnino latine reddenda sit.

COMPLACENTIA. Phrasin, *habere complacentiam*, redde, oblectare se quo, sic placitum mihi, vel huius modi formula alia.

CONCERNIT, attinet, pertinet. Halucinantur etiam qui pro *cerno* a Q. Cic. Pet. cons. cap. v poni putant.

putant. Meliores enim libri *confido* habent, non *concerno*. Pariter erratum est in edit. Colon. Operum Hieronymi Epist. cxxxv p. 316. *Nunc & Esaja vaticinium concernimus opere completum*: at Froben. Basil. 1516, & antiquior alia Basileensis (sed epistolarum tantummodo) A. 1489 & Lugdunensis 1513 habent *Cernimus* simpliciter. Tamen Glossarium vetus, *concerno*, *συγγινωσκω*.

CONCIVIS, ciuis, municeps. Cic. Catil. i cap. 7 *te metuunt omnes ciues tui*. Post Red. ad Quir. cap. 8. *Vidi ego fortissimum virum, municipem meum, C. Marium*. Frontini *Conciuis* supra repudiatus fuit, quod non solum auctoritas suspecta est, sed ipsa forsan scriptura eiusque interpretatio. Barbaris sæculis *Con* vel *Con* multis vocibus præfixerunt, vt apud Albertum Aquensem obseruauimus III, 24 *Condomesticus*; I, 8 14, III, 4. *Consocius*; VIII, 1 *Comprimores*. De *Coadiutore* & *Con-*

fratre suis locis notauimus. Confini-
timus autem est Gellii lib. 1 cap. 2.

CONCORDANTIA, consensus,
loca parallela.

CONDESCENDERE, ingenio
cuius se conformare.

CONDOLENTIA, συμπαῖς ἰδία,
æqualis dolor, societas ægritudi-
nis.

CONFRATER, frater W. Ty-
rius xx, 28. Alb. Aqu. 1, 18.

CONTRARIOR, aduersor.

CONTRIBVLIS, tribulis. Cic.
Rosc. Am. cap. 16 *vel tribules vel vi-*
cinis meos. Pet. Consul. c. 8 *qui*
apud tribules suos plurimum gratia
possunt.

CONTROVERTITVR, con-
trouerfantur, in controuersia est.

COORDINARE, ordinare in
ordinem adducere.

CORRECTE, id est, emendate;
huc refertur, quod auctoritas inue-
niri nondum potuit, licet non
incerta sit analogia. Cic. Opt.
Gen.

Gen. Orat. cap. 2 *pure & emendate loquentes, quod est Latine.*

CORRESPONDERE, Respon-
dere, consonare, consentire.

CVRSORIE. *Cursim bene.*

DAPIFER, dapes deferens. Alb.
Aquenſ. vii, 30.

DERISIO, irrisio, ludibrium.

DIESCIT. Habent Philippus
Gualterus, Alanus de Insulis, Gui-
lielmus Brito, omnes poetæ barba-
ri sæculi: Vid. Barth. ad Brit. vii
v. 232. Etiam Rob. Steph. in Foro
R. posuit, sed sine auctoris mentio-
ne. Interim donec apparuerit au-
toritas certior, dicemus *lucescit,*
dilucescit, cælum albescit. Cicero
iii Cat. cap. 3 *cum iam dilucesceret,*
Prudent. Cath. ii v. 3

Lux intrat, albescit polus.

Verum *Noctescit,* est Furii, veteris
poetæ, apud Nonium.

DIE TIM, quotidie.

DIVERSIMODE, varie, non
vno modo, alio atque alio mo-
do.

DIVI.

DIVISIM, separatim, seorsum. Brito Philipp. xii v. 527 habet *Diuisim*. Tolerabilius Gellii *Diuise* vii, 2.

DOLORIFICVS, Dolorem afferens.

DOLOROSVS, mæstus, dolens.

DVCISSA, Dux celsissima. Si enim vox communis est utrique sexui, non opus est noua *ἡγεμένης*. verbi gratia, in antiquis editionibus Gellii x, 15 *sacerdotissa* legitur, pro qua elegantius xiii, 10 *sacerdos femina* scriptum est. Vnde Stephanus, Gronouius, Thysius, Oiselius, Proustius, alique suspectam illam vocem expunxerunt.

EFFORMARE, exprimere, effingere

EXTEMPORANEVS, Extemporalis. Seneca Proœm, iii. Controu. *Extemporalis illi facultas non deerat.* Quintilianus x, 7 *ex tempore dicendi facultas*: & ibidem, *extemporalis actio.* At Glossarium:

rium : *Extemporaneum* , ἀμελέτητον.

EXTRAORDINARIE , extraordinem.

EXTRINSECE , extrinsecus. Etiam Adiectivum *Extrinsecus* in barbaris scribendum est.

FACILITARE , faciliorem redere.

FILIALIS incertæ auctoritatis. Filialis amor , obedientia , *pietas* Latinis est. Vid. Plin. vi Epist. xxv extrem.

FINALITER , ad ultimum , novissime. De Adiect. *Finalis* vid. Antibarb.

FORTALITIVM , propugnaculum , castellum.

FORTIFICARE , munire , communire.

FRONTISPICIUM , pro quo *frons* est apud Pallad. i, 8 extr. *Totus*, inquit, *fabrica tractus unius lateris longitudine, in quo frons erit, meridiana partem respiciat.*

FRVSTRANEVS , superuacaneus,

caneus, sine fructu, frustra susceptus.

GRATITVDO, ~~gustus~~ animus, memoria beneficii, memor beneficii animus, licet *ingratitude*, ut supra cap. viii ostendimus, sit Casiodori & Firmici. Adde Antibarb.

HEBDOMADATIM, quavis hebdomade.

HOMAGIVM &

HOMINIVM clientela, sacramentum. Vid. Voss. iii, 14 de Vitiis Serm.

ILLEGITIMVS, legi repugnans, se ut *illatus* habet. Vtriusque bona & linguæ consentanea, compositio est: sola exempla deficiuntur. Val. Maximum amplissimus & sæpe laudatus vir O. Borrichius obiecit, qui lib. ii cap. i dixerit *illegitima intemperantia*, atque ita Pighius, Thysius alique ediderunt. Verum haud difficile est, vitium recens aut nostræ prope ætatis in hoc loco ostendere. Nam MSS libri, Brandenburgenses, a Io. Vor-

Vorstio euoluti; & Lipsiensis, quem Academia adseruat; & excusi superiori ac proximo sæculo, Venetiis cum Oliuerii Arzignanensis commentariis 1491, & 1503, & Aldinus; Lipsiæ 1512; Lugduni 1556, & alii, quos prætermitto, constantissime exhibent *legitimæ intemperantiæ*. Vorstius, qui ita pariter edidit, erudite adnotauit, scripturam *legitimæ* Valerii menti propiorem, quam alteram esse. Idem iudicauit vir doctissimus Petrus Iosephus Cante-
lius, qui in Delphini Galliarum
vsum Valerium illustrauit. *Melius*, inquit, *legeris*, LEGITIMÆ. *Cum enim semel, iterum, atque etiam sæpius nubere per leges liceret; repetitas nuptias legitimam intemperantiam appellat.* Oliuerius, vetustissimus interpres, clarissime omnium: *Licebat quidem secundas vel tertias agere nuptias, sed tamen non sine suspitione fiebat libidinis cuiusdam intemperatæ: Et ideo legitimam intemperantiam appellat.*

IMMEDIATVS, IMMEDIATE,
proximus, proxime.

IMMORIGER vel IMMORIGERS, male moriger, non obediens. Apuleius 11 Metam. post princip. *minus morigeros & viles fastidiens.*

IMPERTINENS, ad causam non pertinens, quod extra causam dicitur. Seneca Epist. cxiii extr. *nihil ad rem pertinet.*

IMPORTANTIA, momentum, pondus.

IMPRAEGNARE, gravidam reddere. Habet hoc deculpatum verbum Brito Phil. vii v. 607

Et iam finis erat hiemis, tellusque calore

Impregnata nouo flores gignebat & herbas.

INADVERTENTIA, inconsiderantia.

INCERTITVDO, incertum, & Plur. incerta. Sic *incertum belli Iustin. xxxiix, 1 maris & tempestatum, Tac. An. iii, 54 salutis, Apul. iv Me-*

Metam. *incerta fortuna* Liu. xxx, 15
& Plin. iii, 19 *præliorum* Tac. Hist.
ii, 77 *casuum*, iterum *Liuius* xxx, 30.

INCIDENTER, obiter, in trans-
cursu, *ἐν παρὰδρομῇ*.

INCORRIGIBILIS, inemenda-
bilis. Seneca de Ira iii, 41 *inemenda-
bilis, cum ex ira in odium occalluit*.
Quintilianus Instit. Orat. lib. i c. 4
extr. *Multa lingua vitia, nisi primis
eximuntur annis, inemendabili impo-
sterum prauitate durantur*.

INFIDELITER, mala fide.

INFINITIES, infinite.

INSIGNIVM, insigne, signum.

INSUFFICIENTER, nimis par-
ce, exigue. De Adiectiuo IN-
SUFFICIENTS silent æque Lexica.
Non dubito tamen, quin apud po-
steriores inueniri possit, cum Ter-
tullianus i ad Vxor. cap. 4. Subst.
insufficiencia dixerit. At SUFFICI-
ENTER est Palladii i, 25 Macri
Carm. XLVI v. 32. Vlpiani Di-
gest. i Sed si quid inædificaue-
rit, § 2.

IN-

INTIMIOR, amicior, familiarior.

INTRINSECE, intrinsecus. Adiectivum quoque *intrinsecus* malæ, immo pessimæ notæ est.

IRRECONCILIABILIS, inexpiables.

IRREGVLARIS, declinans ab regula, enormis.

IRREMISSIBILIS, cui nunquam condonabitur.

LAPIDICINA, Lapidicina. Ergo corruptus est Plinius xxxvi, 7 in plerisque libris: recentissimus vero Harduinus emendate nuper *lapicidinis* vulgavit.

LIGA, fœdus, fœderatio.

LVBRICITAS, lubricum. Plin. Epist. iii, 3 *in hoc lubrico ætatis*. Tac. xiv, 56 *lubricum adolescentiæ*: & Annali i, 65 *equi lubrico paludum lapsantes. lubrico pelagi*, Val. Max. iii c. 2 n. 10. Et Ambrosius Orat. in obitum Valentiniani ii *a peccatis & lubrico iuventutis in senectute se revocare*.

MA.

MAXIMA *e*, Subst. axioma, regula.

MIRACVLOSVS, mirabilis, portentosus. Vossius & Borrichius damnant. An apud veteres Ecclesiasticos exstet, alii discutiant. Non memini me legisse.

NECESSITARE, necessitatem adferre, imponere.

NOTORIE, manifeste, aperte.

*NOVENDECIM, vndeuginti. Liuius xxiii, 46 *viui capti sexcenti, & signa militaria vndeuginti*. Censorinus cap. xvii *scriptum est, quatuor priora secula annorum fuisse centum & quinque: quintum, centum viginti trium: sextum, vndeuginti & centum*. Et sic etiam in Ordinabilibus. Liuius x, 47 *vndeicesimum lustrum*. In aliis quoque numeris ex ix compositis similem rationem seruant Latini, verbi gratia, *vndequinquaginta* idem Liuius xxxvii, 58 *vndesexaginta* xxiii, 37 & 49 *vndetrigesimo die* xxv, 36. Ipsum *Nouendecim* non memini apud vllum scri-

Q

ptorem,

ptorem, vel mediocriter probatum, me obseruasse. Exstat quidem in multis libris Epit. Liuianz cxix, sed Gronouius adnotauit MSS habere *decem & nouem*, item *decem & octo*. Sigonius xix, Frobenius xviii per notas expresserunt. Hac dubius scripsi: certiora ab aliis expecto, si qua haberi possunt.

ORDINARIE. Adiectiuum bonum probatumque nec Aduerbi-um analogia malum, sed, exemplo deficiente, *ordinate, ordinatim, ordinario iure, secundum consuetudinem*, praefero.

OSCITANTIA, pro quo dicas *oscitatio*.

PAROCHIA, parœcia.

PECCAMINOSVS, vitiosus, sceleratus. *Peccamen* autem Prudentii est, vt supra demonstraui.

PERPENDICVLARITER, ad perpendiculum.

PLAUSIBILITER, cum applausu.

POROSVS, fistulosus.

PRAE-

PRAENOMINATIVS, prædictus, Colum. ii, 19 *supradictus*, Plin. xi, 10 *antedictus*, Ammian. xvi, 26 *Passuum Praefatus* est Vopisci in Aureliano cap. i & Arnobii lib. v pag. 176 *sine honoribus praefatis*: quod etiam ex Iustino xxxix, 2 quædam Lexica probant. Meliores autem libri, Bongarsii, Berneggeri, Vorstii, Grauii, *praefectorum* habent, non *praefatorum*, quod Cl. Scheffero videtur a glossatore esse. *Suprafatus* Sidonii Apollinaris est lib. viii epist. xiv.

PRAEPRIMIS, inprimis, cumprimis, præsertim, maxime. Morbida vox nata mihi videtur ex confusis **PRAESERTIM** & **INPRIMIS**, præpostera imitatione sanorum *præ ceteris*, Cic. Amic. c. i & *præ omnibus*, Virg. iii v. 435.

PRAESERVARE, adrepentem morbum antevertere, ægroti officium adhibita medicina, cum sani sumus, præsumere. Dudum Rob. Stephanus For. R. observavit, huius medi-

medicinalis verbi nullum exemplum reperiri apud idoneos auctores.

PRIORITAS, qua quid prius est.

PROMANARE, emanare, permanare, prouenire. Analogia bona, exempla nulla aut inuisa. Sunt clari viri, qui Senecæ de Tranquill. imputant, *sermo non promanauerat*, verum decepti sunt vitiosis libris. Taruisii 1478 & aliis locis illa, ac proxima tempestate editum fuit non quidem in de Tranquillitate, sed in de Constantia Sapientis libro cap. xix, *tribuno militum sermo non promanauerat*. Muretus autem & Pincianus ex MSS correxerunt *pro manu erat*, tribus vocibus, quorum emendationem clarissimi quique editores secuti sunt, Lipsius, A. Schottus, Car. Albertus, & nouissime Gronouius. Lipsius ita interpretatus est: SERMO NON ROMANVS: *mollis & languidus, cum manus prompta & virilis*. Multum debeo

beo ei, qui aliud exemplum ostenderit.

PROMTITVDO, alacritas, propensio. Glossarium Labbxi, *Promptitudo* προθυμία.

PROPORTIONALITER, pro rata parte, pro facultatibus cuiusque.

PVSILLANIMITAS, parvus animus, timiditas. Glossæ tamen veteres, *Pusillanimitas* ὀλιγοψυχία, μικροψυχία.

PVSILLANIMITER, timide, animo fracto, humili. Adiectivum *Pusillanimis* in Semibarbaris supra ex Mamerto dedimus.

REALIS, verus, ad rem aut usum pertinens, aut pro diuersa notione aliter.

REALIA (subst. plural.) res.

RECOMMENDARE, commendare.

REDARGVTIO, refutatio, reprehensio.

REDHOSTIMENTVM. *Hostimentum* est Plauri Afri. Act. 1 Sc. 3

& Ennii apud Festum: & *Redboſſi-
re* Pacuui apud eundem Festum.
Vtrumque obſoletum.

REITERATIO, iteratio. Lau-
datur quidem in omnibus fere Le-
xicis *Reiteratio* tanquam Quintilia-
ni verbum, & in libris Quintiliani
abhinc ſeſquiſæculo excuſis XI, 2.
ſcriptum inuenio: *quæ exciderunt,
retrahantur, ut crebra reiteratione,
firmentur.* Verum caſtigatiores li-
bri, etiam quem Bataui ediderunt,
cum variorum Notis, habent *itera-
tio*. Verbum *Reiterare* eiſdem
pretii eſt. Apuleius Elmenhorſtii
VIII Mileſ. poſt princip. præ ſe fert.,
ferinos mugitus reiterans: at, quem
Io. Priæuſe emendauit, *iterans*, quod
etiam Cod. MS. Oxoniienſis, eodem
Priæo teſte, exhibet, & excuſus
Baſileæ cum Beroaldi & Stewegii
notis. Atqui hæc ſola auctoritas
vtriuſque vocis ſuſpectæ adhuc
nota fuit.

RESPECTIVE, comparate.

REVISIO, recognitio.

RI-

RIGOROSVS, rigidus, feuerus.
SCANDALOSVM, quod offendit tenellos animos. De *Scandali* voce supra in Eccles. actum fuit.

SCIBILE, quod scientia comprehendendi potest.

SEPTIMANATIM, quauis hebdomade.

SITVARI, **SITVATIO**, situm esse, positio loci. Traianus Plinio x, 59 *si loci positio videtur hoc desiderare, eadem Matris Deum transferre potes*. Flori quidem ii, 18 hæc verba in Lexicis leguntur: *Numantia edito in tumultu apud flumen Durium situata*, & ita quibusdam editionibus, vt vetere Parisiensi Ioannis Petit, & Lipsiensi 1512, aliisque expressum fuit. Sed summi viri, qui penitus membranas inspexerunt, Vinetus, Gruterus, Salmasius, Freinshemius, Græuius, abominati impuram vocem, *sita* ad vnum omnes substituerunt. Grauit ibidem Vinetus: **SITVARE** & **SITVATIO**.

TVATVS rustica sunt & barbara:
SITVS vero omnino Latinum. Sed
summi viri, Vinetus, Gruterus,
Freinshemius, deprehenderunt,
rusticam hanc scripturam esse, &
illius loco *sita* legendum.

SOPHISTICARI, sophistas imi-
tari.

SORDITIES, sordes.

SPONDAICVS, Spondiacus,
σπονδαῖος.

SVBALTERNARE, alternis su-
periolem & inferiorem esse.

SVBALTERNATIM (quo et-
iam Guilielmus Tyrius xxi, 7 vsus
est) alternis vicibus.

SVBALTERNVS, secundarius,
inferior.

SVBINTELLIGO, subaudio.

SVCCESIVE, progressu tem-
poris. Male quidam Spartianum
vita Caracallæ aduocant. Nam
cap. 8 optimi libri *successisse* habent,
non *successive*.

SVCCESSVS, auxiliares copiæ.
Sextus Pompeius de Verb. Signif.

Auxi-

Auxiliares dicuntur in bello socii Romanorum exterarum nationum. Etiam alia forma Cic. Prov. Cons. cap. 7 cohors auxiliaria: Liuius XL, 40 tria millia militum auxiliariorum.

SVPERIORITAS, fastigium, præstantia, & ex Æneo sæculo, Summitas.

* **SVPERNATVRALIS**, naturæ ordinem seu vires superans. De auctoritate vocis nihil habent Lexica, quam in suspensio relinquitur. Barbara autem sunt

TOTALIS, totus, vniuersus.

TOTALITER, penitus.

VACANTIA, vacatio.

VASALLVS, cliens fiduciarius. vid. *Vossius*.

VERIFICO, probo.

VEGETATIVVS, quod vivit anima primi ordinis, vegetans, &c.

VIRTIVOSVS, vir bonus, virtutum cultor. Spuria Inscriptio apud Gruterum habet: *vixit virtuale*.

VLTIMATE, proxime.

Q s

VXO-

VXORATVS, qui duxit vxorem.

Sequuntur Significationes, quæ Latinis vocabulis impositæ sunt sine suffragiis auctorum antiquarum vel mediæ Latinitatis.

ADVOCARE pro *causam agere, præsentem reo fauere.* Ita interpretatur Manutius ad Cic. pro Cluent. c. 12 & Lipsius ad Senecæ Clem. 1. cap. 9. Vtrumque refellit Gronovius ad Senecam c. 1 ostenditque *Aduocare* Ciceroni & Senecæ citatis & alijs multis locis esse *vocare* & *co-gere, qui adsint, consilium suggerant, patrocinentur; seu fautores conquire-re, aduocatos colligere.* Plinius quidem lib. v epist. viii, ut robur dubitatæ notionis, obiicitur, qui *veniam* dixit, *ne a forensibus verbis recedam, aduocandi peto; verum præter scripturam huius loci variantem, non certissimum est, aduocare heic defendere esse & causam agere.* Nam potuit etiam patronorum officium esse, ut alij, qui adessent, *aduocare*.

rentur, reumque vna cum patrono defenderent.

ANGUSTIA animi, pro *angore*, reiicit Vossius, & sane *ἐβλαση* videtur dictio. Angustia enim Latinis est vel loci, vel temporis propria. Cicero 11 Agrar. c. 32 de Corintho: *erat posita in angustis atque in faucibus Gracie.* & in Verr. de Præt. Urb. cap. 56 *Diem prestituit operi faciundo Kal. Decembres; locat circiter Idus Septembres: angustis temporis excluduntur omnes.* Transfertur tamen ad alia. Partit. Orat. cap. 32 *angustia rei familiaris.* Cæsar Ciu. 1, 78 *in his erat angustis res.* Valerius Max. viii, 15 exemp. 11 *salus eorum in ultimas angustias deducta.* At pro *angore* & animi consternatione non facile, qui dixerit, inuenitur. Vopiscus quidem in Numeriano, habet *confectus angustia*, hoc est, mœrore; verum Palat. Cod. has voces non agnoscit: in margine *vigilia* pro *angustia* exhibet. Vid. Grut.

ASPORTARE pro *apportare* male. Nam idem est quod *Deportare*, alio. Nepos Themist. cap. 2 extr. *que moueri poterant, partim Træzenem asportant.*

CAUSSARI pro *efficere*, *causam esse*. Latine est veram vel vanam causam afferre. Curtius vi, 7 *non vacasse sermoni suo regem causatus.* Gellius xix, 4 *negotium sibi esse causatur, & digreditur.*

COMMVNITER pro vulgo, *vulgariter*. Latine est idem, quod sine partitione. Pro Rosc. Am. cap. 37 *iste Roscius omnia cum Chrysogono communiter possidet.* Liuius v, 28 *imperatores Roman. primo rem communiter gesserunt.* Quintilianus xi, 3 *communiter & phonestis & oratoribus necessaria est exercitatio.* Opponuntur itaque communiter & separatim. vid. Cic. Epist. xiii, 12 pr.

COMPILARE pro *colligere & selecta colligere*. Veteribus enim in malam partem significat. Liuius

XLIII, 7 *templa omnibus ornamentis compilata*, id est spoliata. Horat. Satyr. I, 1 extr. *scrinia compilare*.

COPIA, pro *Exemplum*, *apographa*, eine Copie. Latina significatio nota est.

CORDATUS pro *Animosus*, in dubiis relinquo. Sapientem enim & solertem significat, ut bene observauit Vorstius. Obiicitur mihi Senecæ illud de morte Claudii:

*Cecidit pulchre
Cordatus homo,
Quo non alius
Fuit in toto
Fortior orbe,*

ut cordatus & fortior idem sit. Verum quis mihi spondebit vnum his verbis vitium notasse Senecam? insigni stoliditate fuit Claudius, ut ironice cordatus iure potuerit appellari, id est, mire stolidus, minime prudens. Nec certius Plautinum illud Milite IV sc. II, *Dicite docti &*

cordate, ut cor ei saliat. nam metuit etiam reus ab aduersarii doctrina & prudentia. Et quid Plauto *cordate* significet, verba Pœnulo a. i. sc. ii declarant; *Quas tu sapienter, docte, & cordate, & cate mihi reddidisti opiparas operum tuarum, ubi cordate ex synonymis, quibus cinctum est, commodissime interpretamur. Fortitudinis* fane notio ibidem incongruens est.

CRUX pro *dubio & aduersis rebus seu calamitate.* Non nego, Latinis etiam Tralaticium verbi vsum esse: id tamen scio, ad furcam & patibulum eos respexisse, quod nostri negligunt, præsertim in sermone Ecclesiastico. Status ergo quæstionis est, an puriore sermone tam frequenter vocabulo *Crucis* pro quacunque calamitate vtiliceat, quam nostrates solent & ecclesiastici. Nego promiscuum vsum, & ad veterum consuetudinem meos reduco. Nisi enim heic obex tironibus ponatur, nihil quam cruces habebi-

mus, cum ex vernacula in Latinam linguam conuertendum est.

DEPRAEDICARE, nouum est: sufficit *pradicare*. Nec decompositum huius formæ ex *De* & *Pre* in Latio auditum.

DESOLARE pro Diruere. Nam *solitudinem facere* significat. v. g. Plinius Epist. de Christianis: *desolata templa*, id est, deserta a cultoribus paganis. Lucanus iv, 700

———— *nocturnaue munia valli*

Desolata fuga.

In lapide Neapolitano orbatus pater: IN TANTA DEVM ORBITATE DESOLATVS SVPERVVM.
Reines. Inscript. p. 661.

DISCRETVS. pro *Modestus* Latine est Diuisus & separatus. Liuius xxiii, 33 *Philippus Macedonum rex propior Italia, ac mari tantum Ionio discretus erat*. Sic etiam INDISCRETVS. Apuleius de Mundo: *indiscretis finibus* (sunt maria) *Pamphylum, Syrium, Aegyptium,*

DISPENSARE pro *Legibus soluerere.*

uere. Romanis sonat Disponere & procurare. Ad Attic. Epist. xi, 1 *de nostris domesticis rebus acerbissime afflictor, quod qui eas dispensauit, neque adest istic, neque ubi terrarum sit, scio.* Deinde notat Diuidere, Distribueret. Peto Albinouanus, vel quisquis auctor est, Elegiz ad Liuiam, v. 371

Fortuna arbitriis tempus dispensat iniquis.

Barbaram autem notionem ita Cicero pro Lege Man. cap. 21 expressit: *ex senatus consulto legibus solutus.*

DITIO pro regione territorio. Diserte enim Curtius distinguit iv, 1 n. 26 *ditioni adiicere regionem.* Ergo *potestatem & imperium* significat. Liuius xxi, 60 *omnem oram Romana ditionis fecit.* Et Silius Italicus lib. vii vers. 507

sed enim ditione carere

Virtutem, & pœnas vincentibus esse repostas :

id est, potestate pugnandi magistrum equitum carere, nisi dederit dicta-

dictator. At Hist. Miscella x, 33
*Julianus dudum studens paganitatem
 in omni sua ditione dilatari.* Sed vt
 ex variis collecta est hæc historia,
 ita potior pars videtur post Pauli
 Diaconi ætatem addita.

DOMINVS nominibus virorum
 aut officiorum præpositum, quia
 Latinis vel possessorem significat,
 Pro Rosc. Am. c. 8 *amplissima pecu-*
nia dominus : vel dominatorem,
 principem, sicut Plinius Traianum
Domine alloquitur in epistolis : vel
 herum, cuius notionis obuia exem-
 pla sunt.

DVELLVM pro *certamine singu-*
lari, vt Vopiscus in Probo cap. 9 &
 Eutropius ii, 2 appellant. Horatio
 autem est idem, quod Bellum iii
 Od. v v. 38 &c. etiam Liuius xxii,
 10 ex veteri oratione hæc produxit:
quod duellum populo Romano cum Car-
thaginienfi est, quæque duella cum Gal-
lis sunt.

EXAVDIRE, ethören/ quasi op-
 positum sit simplici *Audire*. Idem
 enim

enim vtrumque significat, saltem alterum, *perfecte audire*. Cicer. Att. Epist. iv, 8 *Dic, oro te, clarius: vix enim mihi exaudisse videor.*

EXCESSVS pro vitio & enormi morum aberratione. Est enim idem, quod *discessus*, antiquis Cic. Fin. iii, c. 18 *excessus e vita*, id est, mors: pro qua etiam absolute posuit de Leg. i c. 1 *post excessum suum Romulus Proculo Iulio dixit, se Deum esse.*

IMMO, in sensu affirmandi. Est enim corrigentis.

INQVAM reuocantis perperam dictum. Pro quo Plautus Mil. Glor. iii sc. 2 *illud volui dicere.*

ITERVM pro *vicissim*. Nam valet Secundo, Rursum. Cicero pro Domo c. 52 *bis salutem accepisse: separatim semel; iterum cum uniuersis.* Et Nepos in Hannibale cap. 6 *primum apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertio apud Trebiam.*

MECHANICVS pro *Opifice*. Artificem ingeniosum significat, qui mirandis machinis opus perficit; Vid.

Vid. Sueton. Vesp. 18 Hinc Cassiodorus 1, 45 Archimedem vocat, *mechanicum*: & mox, *Mechanicus*, si fas est dicere, pene socius est natura. Gellius x, 12 *simulacrum columbae*, e ligno ab Archyta ratione quadam disciplinaque *mechanica* factum, volasse. Spartiano in Caracalla cap 9 sunt *docti mechanici*: & Rhemnio Fannio in libello de Pond. & Mens. Carm. v. 3. *Mechanica Musa*.

MEDIARE pro *interuenire*, (vt *mediante hoc &c.*) aut *personam consiliatoris agere*. Nam *Mediare* non quidem penitus barbarum est, vt Vossius censuit; sed, saltem Traiani saeculo, valuit *medium dissecare*, *medium esse*. Obseruauit Barthius Aduers. xl, 2 dixisse Apicium iii, 9 *coliculos elixatos mediabis*. Sic Palladius iv, 10 sectione de Ficu: *inoculari Iunio mediante poterit*.

* Neque Deriuatum Aduerbium **MEDIATE** Latinum est: nec forsan Nomen **MEDIATOR** extra usum ecclesiasticum, de quo supra diximus.

mus. Locus Apuleii Miles. ix, (*parui se pendere tot mediatorum presentiam*) incertior est, quam ut inde huic verbo aliqua auctoritas accedat. Etsi enim Oxoniensis etiam Codex ita habet: tamen alii libri variant. Elmenhorstius *metatorum*. alii *metitorum*. Pricæus putat *mendicorum* legi posse. Ipse Beroaldus, qui pro vulgata lectione pugnat, hæc adiecit in commentario: *dictio frequens est ecclesiasticis scriptoribus: rarissima illis priscis, quibus nulum, nisi immaculatum, nitidum, tersum verbum est.*

MEDIVM pro subsidio, sumtu, Mittel/ ut *media studiorum, salutis*. Est enim Medius locus vel res, Ouid. Metamorph. ii v. 137,
medio tutissimus ibis.

Metaphorice, in medium proferre, Cic. Ep. xv, 2 in medio relinquere, pro Cœl. cap. 20 de medio tollere pro Rosc. Am. c. 7, quanquam nec in his Substantivum est, sed locus subaudiri videtur.

PER.

PERSONA *pro homine singulari,*
Person. Latinis sonat simulatum
 aliquid, larvam, etiam officii quali-
 tatem. Seneca de Ira II cap. XI *de-*
formis persona ab infantibus timetur.
 Epist. XXIV *demenda persona est, fa-*
cies reddenda. Add. Phædr. lib. I
 Fab. 8. Hinc *induere personam, depo-*
nere Quintil. VI, 2. *Abesse a princi-*
pis persona, Nepos Epam. I. &c. Sed
 hæc nihil detrahant vsui vocis theo-
 logico.

PRAECISE, hoc est, totidem,
 verbis, diserte, accurate. Ciceroni
 Nat. Deor. II, 29 idem est, quod
 Non plene, non perfecte. Et Attic.
 VIII, 4 *precise negare*, est breuiter,
 ἀπὸ λόγου, sine vlla exceptione. Gel-
 lius III, 16 *obscure atque precise di-*
ctum.

PRO TEMPORE, vt fit iam,
hoc tempore. Latine *pro tempore* est,
prout tempus fert. Cæsar. V, 8 *consi-*
lium pro tempore & pro re caperet.
 Sallustius Iugurth. c. 57 *pro tempore*
atque

atque loco paratis rebus. Plura vide in Antibarb.

QVOAD pro *Secundum*. Non enim Accusatiuum regit Latinis, sed Verbis præfigitur, & Quamdiu, Quousque significat. Cic. Epist. xiv, 4 *quoad potes*. Liuius xxvi, 46 *quoad dedita arx est, cades tota urbe passim facta.*

SPECTARE pro Pertinere, in possessionis descriptione. e. c. *Belgium spectat ad Hispanos*. Vid. Sciopp. & Vorst.

STANNVM pro *plumbo candido*, ut id metallum Plinius vocat xxxiv, 16 ubi etiam, quid Latine *stannum* sit, explanat.

STIPENDIARIVS pro *alumno*, qui accipit stipendium. Est enim, qui soluit: siue idem, qui tributarius. Liuius xxxv, 16 *Bello susperatas a maioribus (ciuitates) & stipendiarias ac vectigales factas, in antiquum ius repetit*. Velleius Paterculus ii, 38. *Hispania ductu Augusti facta stipendiaria est.*

STVDIO, pro Consulto, de industria. Liuius 1, 45 *cum quibus hospitia amicitiasque de industria iunxerat & xxvi extrem. Carthaginensium duces ex industria famam capta Carthaginis compresserunt.* Valer. Max. III, 3 ext. 1 *consulto sacrificauit diutius.* Cicerō etiam sic vsurpauit *dedita opera*, pro Rosc. Am. c. 36 extr. *ut dedita opera facere videamini: & consilio*, pro Ligario cap. 12 *qui si consilio id fecisset.* Sed studio eidem est cupide, cum voluptate. Pro S. Rosc. c. 32 extr. *ut omnes intelligant, me non studio accusare, sed officio defendere*, quo modo etiam interpretandus est Paullinus de monachis *scribens studio deformantur*, Epist. xxii [al. vii] n. 2, nisi eius forsan temporibus, cum iam prolapsa esset latinitas, ita dici cœptum fuit, ut hodieque vulgus doctorum loquitur.

SVBDITVS. Substantiue, ein Unterthan. In Latio, ut Participio utebantur hac voce, v. g. Silius 1 v. 194.

Æsti-

*Æstifero Libye torquetur subdita,
Cancro.*

Et pro *subornatūs*. Tac. An. iv, 59 *subditis, qui accusatorum nomina sustinerent*. Symmachi quidem vox circumfertur (Epist. ii, 13) *Augustius est regenti, sibi, quam subditis, modum ponere*: at in dubium vocat hanc lectionem Scioppius, cuius ad Symmachum velim Observationes inspiciantur. Veteres autem ita: Sallust. Iugurth. c. 102 *parentes abunde habemus*. Plin. Panegy. c. 85 *neque ut alia subiectis, ita amor imperatur*.

SVSPENSVS AB OFFICIO, id est abstinere iussus ad tempus munere, præsertim ecclesiastico; sine suffragio veterum dicitur. *Suspensus* enim *Dubtus* est per translationem.

TEXTVS pro *verbis auctoris*, quatenus ab interpretum glossis distinguuntur. Proprium artis *textrinae* vocabulum. Plinius ix, 35 de Lolliæ Paullina: *vidi smaragdis margaritisque opertam, alterno textu fulgenti-*

gentibus. Ad stilum per translationem referri posse non nego, cum Quintilianus ix, 4 Neutro genere dicendi textum tenue atque rarum dixerit: & viii, 2 in contextu & continuatione sermonis: & Plinius x, 42 de aubus sermonis humani imitricibus, assidue noua doquentes longiore etiam contextu. At significatio, quam expunxi, nullo antiquitatis exemplo probari potest.

TORTVRA, pro *Tormētis & quæstione*. Latinus vsus huius vocabuli ex Palladio ostendi potest lib. iii cap. ix *Caput*, inquit, *sarmenti torquendum non est, quoniam ipsa tortura vexatio est.*

VERBOTENVS male adhibetur, cum *memoriter & ad verbum* aliquid pronunciatum dicitur. Latine sonat *secundum externa verba, & sensui, quem significant, opponitur*. Liuius xxxiv, 5 *Rem defendam, non nos: in quos iecit magis hac consul verbotenus, quam ut re infamularet.* Vlpianus L^oge 1 § 2. **Quod**
R quis-

quisque iuris, *Hæc verba cum effectu accipimus, non verbotenus.* Ammianus XXVI, 9 *ne verbo quidem tenui insidiarum indicto ullo reperto.* add. XXX, 15 &c.

VERGO, si æquiparatur nostro *gerischen*/ v. g. *Vergere in honorem*, minus probatur. Loci enim & Temporis apud Latinos est, saltem per translationem ad locum tempus respicit. Liuius XXIII, 33 extr. *quæ insula ad Macedoniam vergunt.* & XLIV, 36 *hora diei iam ad meridiem vergebat.* Seneca de Ira II, 16 *in frigora septentrionemque vergentibus*, quæ certe localis significatio est, præsertim si integra verba inspiciuntur, & illorum *συνάφεια*. *Hora diei ad meridiem vergebat.* Seneca de Tranq. cap. I *ad prava vergentis animi.* Idem de Vita beata c. 15 *ad voluptates vergere*: & de Benef. V, 27 *qui ad hoc vitium vergit.* In his *vergere*, *inclinare* est, quæ translatio in aliis ineptum aliquid sonat, v. g. *boc tibi inclinât ad honorem.* Vitia enim & volu-

voluptates loco inferiori seu ruinae comparantur, ad quam vergat & inclinet hominis animus. Deculpata notionem ita efferunt, *pertinere ad honorem cuius*, Plin. Epist. x, 66. *Id illi ad gloriam vertit*, Tac. xiii, 33. *Valet ad gloriam*, Cic. Cat. iii. extr.

VOCATIO pro Officio diuinitus delegato. Vox ipsa veteribus non ignota fuit, sed *inuitationem* valuit, Catullus Epigr. XLVIII

Vos conuiuia lauta sumptuose

De die facitis, mei sodales

Quarunt in triuiis vocationes?

VOTVM pro suffragio & sententia. Latine sonat promissionem Deo factam, factam voluntatem & desiderium.

Tandem etiam *coniunctas* voces examinamus, quibus aliquid barbari inesse videtur. Tales sunt

ABS RE. Vereres omnes constanter dicunt Ab re. Liuius xxxv, 32. *non ab re esse visum est*. Quintilianus ix, 1 *ab re digressio*: quod a Cicerone est, qui de Orat. iii, 53 dixit,

ab re longa digressio. Atque ita ante alias quoque voces a littera R incipientes, vt Liuius XL, 12 *ab Roma redii.* Nec aliter Vlpianus, quam *non ab re, nec ab re*, Lege XIV Dig. de probationibus, & Leg. XVII § 6 ad Leg. Iul. de adulteriis; & Lege IV § 5 D. de fideicommiss. libert. Atque ita etiam puto Lege Gordiani, i Cod. Si maior factus alienationem, legendum esse. Vnum exemplum Gellii videtur ob stare lib. XIX, 14 vbi multæ, exque nobiles editiones, Stephani, Oiseli, Proustii, & Batauz minoris formæ, habent, *Hac notare meminisseque non abs re visum est.* Corrigo vitiosam scripturam ex antiquioribus libris, Venetis 1489 & 1500. P. Mosellani 1533, & Lugdun. 1565, quibus expressum est, *non AB re.* Est vero elliptica locutio, qua *alienum* subauditur. Quare iuste Scioppius notauit Famianum pag. 57 quod *non ab re veritus*, dixerit, quia *alienum* ibi locum non habet.

AN, VEL in dubitatione, ob/
 oder / barbarum : *Vtrum . . . an :*
Num . . . an : aut encliticum *ne*,
 sequente, in altero commate, *an*
 Latinum.

BRACHIVM SAECVLARE,
 Magistratus.

COMPARATIVM EST CVM
 HOC. Barbare additur CVM; dem-
 ta Præpositione satis Latina *ῥῆσις*.
 Plinius Epist. III, 4 *Est ita natura*,
comparatum, ut &c. Dicunt etiam :
ita natura comparata est hominum, Te-
rent. Heaut. act. III sc. 1 ita ratio
comparata est vite, Cic. Amic. 27.

CONDOLERE CVI, transitive,
 hoc est dolorem suum ex alterius
 incommodis perceptum eidem de-
 clarare, einem das Leid flagen. Con-
 dolere enim Ciceroni idem est
 quod *dolere*. Tusc. Quæst. II cap. 22
pes condoluit. De Orat. III c. 2 dicen-
ti latus ei condoluisse. Tibullus 1
Eleg. VI

Et simulat subito condoluisse caput.
 Ferri etiam potest, si vel societatem

ægritudinis noceat, Mitleiden haben.
Ovidius v Trist. III. v. 32 videtur
ita usus esse:

*Vt tamen audisti percussus fulmine
vatem,*

*Admonitæ matris condoluisse
potes.*

Tutius tamen & elegantius etiam
in hac notione Ciceroniana adhi-
bentur, *pari molestia adfecti* Epist. IV, 5
prope æque dolere IV, 6 *dolor tuus mi-*
hi dolor est VII, 2 *sollicitudinis & do-*
loris participem esse XVI, 21.

DE VERBO AD. VERRVM
Germanissimus est. Cicero Fin. I c. 2
fabellas Latinas, ad verbum de Græcis
expressas. Academ. IV. cap. 44. *ad*
verbum ediscendas libellus. Epist. III, 8
ut de tuo edicto totidem verbis trans-
ferrem in meum. De Opt. gen. Orat.
cap. 5 *non verbum pro verbo necesse*
habetur reddere. Lambinus expunxit
illud PRO, non necessario. Nam
etiam Terentius, *par pro pari refer-*
to, Eunuch. act. III sc. 1, vti Dona-
tus legit, & ratio metri postulat.

ERV.

ERVESCO CVIVS. Recte & ordine fecit Freinshemius, cum barbaram syntaxin in Indice Curtiano damnauit. Originem debet vitiosis libris Curtii, quibus vsus est Stephanus in Thesauro suo adornando. Nam lib. v cap. 5, ubi nunc legimus, *erubesceret fortuita*, libri quidam superiore sæculo excusi referunt, *erubesceret fortuna*: sed meliores omnes *fortuita*. Frustra ergo Regulam de Genitiuo Grammatici nostri, Schmidius, Rhenius, alique, exsculperunt. Nam quartus & sextus Casus huic Verbo adduntur, non secundus. Virgilius *Æn.* II v. 541

———— *iuna fidemque*

Supplicis erubuit.

Seneca Epist. xcv Grammaticus non erubescit solæcismum, si sciens facit. Fuius XL, 14 non est res, qua erubescam. Curtius IV, 5 ubi paucitate suorum erubescendum sit. Et Plinius Paneg. c. 31 erubescere fame. Cum Infinito obuia sunt exempla. Ablati-

R 4

uus

uus cum DE rarior est. Seneca lib. ii Controu. xi dixit, *de aliis erubescam*. Spartianus in Seuero cap. 15 *cum de illa (sorore) imperator erubesceret*. Hieronymus adu. Iouinian. i extr. *quibus de matre erubescendum*.

IDEM CVM ILLO. Pronomen *Idem* in comparatione plerumque post se requirit Relatiuum *Qui, Quæ, Quod*; rarius in Coniunctionem *Et, Ac, vel Atque*. At Particulam CVM, ex vernaculis linguis ortam, ferre non potest. Cicer. Offic. iii c. 4 *a Peripateticis nostris, qui quondam iidem erant, qui Academici*. Terentius Heaut. Act. ii Sc. iii v. 24 *animus te erga idem (est) ac fuit*. Alia exempladedi in Antibarb. Græcismus est, cum Dativus adiungitur. Traianus Plinio Epist. LXXXIV *Interpretationi tuæ idem existimo*.

IMPLICARE CONTRADICTIONEM. Contradictoria Cicero vocat ii Phil. c. 8 *non coherentia*: Apuleius Apolog. *inter se repugnantia*. Contradictionem idem Cic. c. 1

c. l. rerum repugnantiam. Ipsa vox *Contradictio*, sed proprio, non hoc philosophico sensu, etiam a Seneca Suas. II, Quintiliano III, 8 & aliis usurpata est.

MATERNA LINGVA, vernacula, sicut Cic. Epist. IX, 15 *festiuitas vernacula*. Hieronymus autem Epist. cxxxii ad Vitalem plane *lingua vernacula*: Plinius Epist. IV, 3 extr. *sermo patrius*.

MVTVO DARE, MVTVO SVMERE. Scioppius contra Fam. pag. 160. barbarismi damnat. Cl. Borrichius p. 175 videtur calculum adiciere: *Non desino*, inquit, *ambigere, utrum illud Vossii MVTVO DARE, & MVTVO SVMERE, apud classicos exstet usquam.* Tutius ergo Ciceronianis utemur, *mutuum dare, mutuum sumere.* Ad Attic. Epist. XI, 3 *cui magnam dedimus pecuniam mutuam.* Leg. Agr. II, cap. 30 *civitatibus mutuum frumentum dedit.* In Verr. de Præt. Urb. c. 10 *pecunias sumfisse mutuas.*

PATRONATUS IVS, ius vocandi sacerdotem, seu episcopo commendandi. Rara vox *Patronatus*, neque tamen in barbaris scribenda, quia, quanquam alio sensu, yfusa est Paullus I C. in Digest. *Legge Idque & Iulianum*, quæ XLV est de Actionibus emti & venditi, & vetus inscriptio OB HONOREM PATRONAT. COLL. FABR. apud Reines. pag. 255.

PRO ET CONTRA, in vtramque partem. Vid. *Antibarbar.* Addo *Cæsarem Gall. v cap. 30 in vtramque partem habita disputatione.* Cōiuncta autem hæc, nec interueniente Casu sexto ad *Pro*, (nam *Contra* etiam elliptice & aduerbialiter, potest poni) intelligimus, castigantes vulgarem sermonem *pro & contra disputare*, quod insolens Latinis, qui *Pro* nunquam ponunt absolute. Alienum ergo est Senecz exemplum de *Ira* III, 18, *utrum contra nos faciat, an pro se: & Quintiliani* V, 1, *que aut pro his, aut contra*

tra dici solent. Vtrobique enim Pronomen ad Pro adiungitur.

REBUS SIC STANTIBUS, ita se habentibus.

RES SE ITA HABET CVM HOC. Abiice barbarum additamentum, cum hoc : cetera satis Latina sunt. Vid. Cic. pro S. Rosc. cap. 43. Liuius XL cap. II.

SALVVS CONDVCTVS, fides publica. Sallustius Cat. c. 48 *si fides publica data esset.* Iugurth. cap. 32 *eumque, interposita fide publica, Romam duceret.* & ex breui interuallo: *fidem suam interponit, quam ille non minoris, quam publicam ducebat.* Adde cap. 33 & 35. Et de mta altera voce Epitom. Liuii CXXXI *regem Armenia fide data perductum, in vincula conici iussit.* Sic *fidem petere.* Liuius XL, 49 *missis, qui fidem venienti in castra peterent, um sicher Geleite anhalten.* Non autem semper de conductu, vt aiunt, sine Geleit sed latius quoque sumitur. Cic. III in Catil. cap. 4 *pr. Introduxi Val-*

turcium sine Gallis: fidem ei publicam iussu senatus dedi, i. e. pręcaui, ne ex confessione periculum sibi metueret, Versicherung thun.

VERBA ITA SONANT. Hęc per se non sunt barbara. At si in auctorum producendis verbis adhibentur ex Germanorum imitatione, videntur dure & barbaris sonare. Latini *inquit*, post vnum vel alterum vocabulum interponunt.

APPENDIX

MISCELLANEA.

Addenda, dubia, miscella, in hanc vltimam classẽ conii-
cio, quod partim memoriã sub-
terfugerunt, cum supra de hac re
scriberem; partim dubia & incer-
tiora visa sunt, quam vt senten-
tiam de iis ferrem, priusquam,
quid clari viri sentiant, explora-
tius haberem. Talia sunt

AD.

ADHIBERE FIDEM pro *Habere*, dixit Sulp. Seuerus Vita Mart. cap. i. & ii. & Aufonius Epist. x.

Si qua fides falsis unquam est adhibenda poëtis.

An etiam in aureo æuo ita locuti sunt? Ex Cic. Diuin. ii, 59. proferatur, *si insanorum fides non est adhibenda*. Ita quidam libri, etiam Lambini: at qui accuratissimi censentur, Aldi P. F. Manutii 1583 Venetiis cum commentariis excusis, & Iani Gruteri, & qui huius curam ac studium in Batauis & Britannis secuti sunt, *fides habenda* exprimunt, sicut & Cicero alibi, vt ad Attic. viii, 3. ac Curtius iv, 6. 12. & optimus quisque *fidem cui habere*, non *adhibere*, dixerunt. Res per se leuicula & parui momenti. Malo tamen certam antiquitatem, quam dubiam scripturam, imitari.

BIGAMVS & BIGAMIA, ex Græco & Latino insolenter composita vocabula. Vossius & Borrichius censent in barbaris: nec valde

de repugno, quia etiam Hieronymus, extremo cadentis Latinitatis auctor, ubi rem ex industria persequitur, lib. i adu. Iouianum, constanter dicit *Digamus & Digamia*, v. g. cap. 8 *quam sancta sit digamia, hinc ostenditur, quod digamus in clerum eligi non potest.* Adde Epist. xi. de Monogamia. Quod si latine loqui vult Hieronymus, dicit *bimarius*, lib. i adu. Rufin. c. vlt.

COR pro animo & ratione non plane Germanismus est. Cicero in Philipp. cap. 6 dixit *stuporem cordis*: Idem de Oratore iii, 16 *diffidium linguae atque cordis*: Et Luf. Priap. i.

Nam sensus mihi corque defuisset.
Phædrus. III fab. i v. 21.

*Curamque habendi penitus corde
eraserim.*

& Ouidius Epist. xix v. 156.

O penitus toto corde recepte mihi.
Tamen vulgata nostra *ex toto corde ex cordis penetralibus precari, orare, sub alio quouis cælo, quam Latino,*

nata esse suspicor, quemadmodum etiam Pareus Observat. p. 126 *ex corde amare in sordidis numeravit.* Cicero Epist. 1, 7 *Perfectus est a me toto animo de te ac de tuis ornamentis & commodis cogitare.*

DESERTUM, Singulare & Substantivum frequentant Ecclesiastici. Tertullianus adu. Hæret. c. 47 *Moses exaltavit serpentem in deserto.* Hieronymus Epist. iv. *quid venenatorum animantium desertum huius sæculi nutriat.* Prudentius Apoth. v. 774 [Heinf 710]

*Quinque in deserto panes iubet &
duo pisces
Apponi in pastum populis.*

Glossici solitudo, locus desertus, dicunt: etiam Pluraliter Deserta, cuius Adiectiva adiungunt, ut Substantivo, non solum poetæ, e. g. Virgilius in Georg. v. 291. *Parnassi deserta per ardua:* sed soluti etiam sermonis auctores, Plinius v, 4 *deserta vasta:* Solinus cap. xv [al. 25]

im-

immensa deserta. & cap. L de Seribus [al. 63] *longa deserta.*

DICTION pro vno vocabulo reiecerat Vossius : reducere Borrichius conatus est Catonis & Quintiliani auctoritate, quod ille in Originibus dixerit, *neque dictio Herculis est Græca, sed Ægyptia*: hic Instit. Orat. ix. i *Tropus est dictio.* In neutro firmum præsidium. Verba enim illa non sunt Catonis præsci, sed Annii Viterbiensis, cuius Originibus, quas pro Catonis obtrudere voluit, *nihil profecto inficitius Catoneque indignius est*, ut Vossius de Hist. Lat. lib. i. cap. v. censebat : siue ut Casp. Barrerius Lusitanus in Andr. Schotti Biblioth. Hispan. iudicauit, *nihil [illæ Origines] Romanum sonant, nec vetustum, sed recens & barbarum.* Dubitanti fidem facient vel sola vocabula *profunditas, sempiternitas, verbositas* & id genus alia. Quintilianus potest *dicendi genus*, quæ Ciceroniana notio est, intellexisse. Tropusenim non est ipsum

ipsum verbum, sed verbi translatio, siue significatio & adfectio vocabuli. Nec tamen deferendam causam puto, quia si non aliis, tamen grammaticis dubitata notio vindicari potest. Scaurus enim, vetus grammaticus, *Oratio*, inquit, *est ore missa & per dictiones ordinata pronuntiatio.* Diomedes (qui etiam hæc Scauri seruauit) sub initium lib. I *Quidam sic orationem definiunt: Oratio est compositio dictionum consummans sententiam, remque perfectam significans.*

DISTRAHO, id est, vendo, primum de re particulatim vendenda dici cœpit Hadriani æuo, Sueton. Vesp. 16. Iustin. ix, 1. Deinde de quauis re, quæ scindi & separatim vendi non potest. Apuleius lib. vii de virgine: *nec leui pretio distrahi poterit talis ætatula* & lib. ix de dolio: *minoris distraxit.* Adde Eutropium viii, 6 num. ii Schoppij tamen iudicium adu. Fam. p. 151 haud negligendum est, *Melioribus lingua*

*gua Latine astatibus nemo DISTRA-
HERE pro VENDERE dixisse inue-
nitur.*

DIVISIBILIS, vide post paullo
INDIVISIBILIS.

ERUPIT IN HAEC VERBA.
Ut vulgo usurpatur a tironibus, al-
iquid vernaculi olet. *Erumpere*
enim impetum & conatum signifi-
cat, qui non in quovis sermone est.
v. g. Solinus c. 1 de Cræsi filio: *in
vocem erupit vi timoris*. Lampridi-
us in Commodio c. 4. *in hæc verba
prorumpens: hunc tibi pugionem se-
natus mittit*. Symmachus iv epist.
1. *Prior in verba salutationis erupit*.
Molliora sunt: *Vox subito erupit*,
Senec. de Clem. ii cap. 1. *Verba eru-
perant*, idem de Brev. vitæ c. vi.

**EVADERE IN VIRVM DO-
CTVM**, trita, sed parum doctis vi-
ris probata phrasis, quod exempla
antiquitatis deficiunt. *Evadere*
cum quarto Casu & Præpositione;
sonat vere idem, quod *erumpere*, ut
apud Terentium Adelph. iii Sc. iv
extr.

extr. quo nescio, an etiam Liuii illud referendum sit lib. xxvii, 23 *pestilentia magis in longos morbos, quam in perniciales euasit*: & Quintiliani ii, 17 *ne in infinitum questio euadat*. Alias, præsertim si sermo de hominibus est, Nominatiuum subiiciunt, vt in Antibarbaro probaui. Liuius lib. i, 39 de Seruio Tullio: *iuuenis euasit vere indolis regia*.

FIDEIVSSOR. Antiquissimorum quidem non est: nec tamen recentium solum iurisconsultorum, sed Vlpiani, Pauli, Papiniani legibus Pandect. de Fideiussoribus: etiam imperatorum Seueri & Antonini lege ii Cod. de Fideiussor. & mandatoribus. Macrobius Sat. v, 19 *accepto prius fideiussore a persona, quæ iuratura est*. Cicero *sponsorem* vocat Attic. Epist. i, 8.

FLVXVS substantiv. Onomasticon vetus: *pon fluxor, fluxus, fluxio*: R. Stephanus ex Celsi iv, 21 *de ventris fluxu* allegat: sed verba in lemma tantum habentur, de quo incert-

certum, ipse auctor, an, quod verisimilius, posterior aliquis grammaticus addiderit.

HACTENUS. Constantes litteratores censuerunt, *Hactenus* ad locum potius vel rem, quam ad tempus referri ab antiquis. Vide Manutium in 11 Cic. Fam. Epist. & Goclenium Analect. part. 11 lib. 11 c. 22. Gifanium Obseru. LL. p. 291. Tursellinum de Particulis, Vorstium de Susp. Lat. cap. xix quibus addo magnum æque philologum ac iurisconsultum Io. Strauchium de Particulis Iuris. Cicero ut plurimum usurpat, si ad certum locum in litteris vel sermone peruenit. v. g. *Sed hac hactenus*, de Diuinat. 11, 22 extr. *De litteris hactenus*, Epist. Fam. 11, 1 & xii, 25 extr. & ad Antonium sub ad Attic. xiv, 13 extr. & de Amic. c. 15. Quo referri debet, principio librorum cum respectu ad antecedentes libros positum, ut 11 Georg. Virgil.

Hacte-

*Hactenus aruorum cultus & sidera
cæli,*

Nunc te Bacche canam,

id est interprete Tursellino, *usque*
ad hunc locum carminis vel orationis.
Et sic apud Ovidium i Art. am. v,
263, Propertium iv Eleg. i v. n9.
Plinium xxviii, 8. Statium v Sylv.
i v. 135, locus librorum vel carmi-
num notatur, quem si quis tempus
malit appellare propter voculam
nunc aut *tempus* sequentem, per nos
liceat, modo de scriptis aut libris
cum Cicerone vsurpetur, non de
alia quavis re: nos autem *locum*
aut *rem* cum laudatis litteratoribus
appellauimus. Virgilii xi, 823 *bac-*
tenus, Acca soror potui, sonat eo usque
valui viribus, quod ex communi
aliorum omnium consensu liquet,
quibus cum *usque ad hoc tempus* si-
gnificandum est, non *Hactenus*,
sed *Adbuc* adhibetur. Hodie vero
in omni sermone *Hactenus* ingeri-
tur: *Adbuc* veterum fere oblittera-
tur, aut non præterito tempori pro
bis.

histero / sed continuationi futuri tantummodo (anno) applicatur, quod contra veterum consuetudinem est, a qua alio post Ciceronem saeculo interdum, sed perquam raro, descitum esse, non negamus. Sic enim Tacitus Agric. c. x. *Dispecta est & Thule, quam haecenus nix & hiems abdebat.* Est & alia significatio, adhuc fere neglecta, sequente *V.T. De Divinat. i cap. 8 qui haecenus aliquid egit, ut earum rationem rerum explicaret.* Plinius Epist. iv, 8 *in hoc fortunae haecenus licet, ut dari possit.* Suetonius Nerone c. 34 *Matrem haecenus primo grauabatur, ut invidia identidem oneraret, id est, in tantum. ut, &c.* Raro *Quod subsequitur.* Plin. Epist. ix, 15 *patrem familiae haecenus ago, quod aliquam partem pradiorum percurro.*

INDIVISIBILIS. *Divisibile* a Vossio aliisque censoribus repudiatur sed *Indivisibilis* apud Diomedem lib. ii cap. de *Littera* reperitur verbis, ut apparet, Scauri, antiqui sub
Ha-

Hadriani imperio Grammatici. *Elementum*, inquit, *nimia vis*, & *indiuifibilis materia vocis articulata*. Tutius tamen cum Cicerone loquimur, qui *diuiduum* & *indiuiduuum* vocat, quod vulgo est diuifibile & indiuifibile. Et de Vniuerf. cap. 7. *Ex materia qua indiuidua est, & qua femper uniusmodi fuique fimilis; & ex ea, qua corporibus diuidua gignitur, tertium materia genus ex duobus in medium admiscuit, quod effet eiusdem natura, & quod alterius: idque interiecit inter indiuiduum, atque id, quod diuiduum effet in corpore.*

INDVCERE [IN] ANIMVM SVVM. Adiectum pronomen, poffeffiuum Vorftio aliquid infuetum fonat & alienum a Ciceronis & æqualium delicatis auribus. Cic. Catil. i cap 9 *fi ire in exfilium animum induxeris*: Liuius ii, 15 *ita induxiſſe in animum, hoſtibus potius, quam regibus, portas patefacere*. Alibi Liuius quoque particulam *IN* interponit, ii, 18 extr. viii, 5; etiam Plinius

nus Epist. ix, 13 *Non sustinui inducere in animum, quo minus &c.* ac Minucius Felix cap. 23, sect. 8 *Quod si quis in animum inducat, tormentis quibus, & quibus machinis simulacrum omne formetur.* Cl. Borrichius exempla comicorum opponit. Contra hæc se dudum munierat his verbis Vorstius: *Sciendum, quid vnaquæque lingua fuerat, quisque vniuscuiusque linguae sit genius, id non ex oratione ligata, sed soluta æstimandum esse: cum Terentius (& Plautus) non soluta, sed ligata oratione scripserit, ad eum prouocari heic adeo non posse. Vt crederem, etiam in soluta oratione Latinos dixisse, INDUCERE ANIMVM vel IN ANIMVM SVVM ex Ciccone, Casare, Liuiio, & id genus aliis exempla proferenda erant. Liuius quidem habet, vix statuere apud animum meum possum, xxxiv, 2; sed de ipso inducere animum, exempla expectantur. Ego ita censeo, prisco Comicorum æuo pronomen in hac phrasi liberum fuisse non*

non poetis modo, metri necessitate coactis, sed aliis etiam: post ut *δεχάιναι*, elegantius Ciceronis seculum abieciſſe. Ut ita sentiam, persuadet mihi, quia non solum comici hac formula vtuntur sine pronomine, Terentius Andr. act. V. sc. i v. 15, & Hecyr. act. ii sc. iii. v. 4. Plautus Afin. act. v sc. i v. 5, & Sticho act. ii sc. ii v. 22: verum etiam vetus inscriptio apud Grut. p. 499 n. 12, in qua hæc occurrunt: EA NOS ANIMVM NOSTRVM NON INDOUCEBAMVS ITA FACTA ESSE --- ANIMVM NOSTRVM INDOCIMVS --- QVOSQVE ANIMVM VOSTRVM INDOVCERE OPORTET. Sunt hæc ex SC. quod factum est L. Cornelio Cn. F. pr. Sen. id est anno V. C. 597, vt Reinesius supputauit.

* Ab aliis etiam phrasibus Pronomen elegantius abesse, vt *tollere oculos suos, extendite manus vestras*, Vossiana observatio est. At non male obire diem suum Sulpicius Ci-

ceroni IV, 12 scripsit, quanquam & Suetonius simpliciter *ebire diem*, Vespas. cap. 1.

INTERCEDERE ut idem sit ac *supplicare alicui pro aliquo*, quod Cicero dixit Epist. VI, 15. vel *adesse alicui ad deprecandam eius calamitatem*, post red. ad Quir. cap. IV, haud facile inuenias. Nam hoc verbum tribunicii iuris fuit, quo legibus & decretis contradicebatur, Deinde a tribunorum potestate ad alias quascunque oppositiones contradictionesque applicatur, e. g. Senec. de Clem. II, 6. *Quoties poterit, sapiens fortuna intercedet.* Suetonius Tib. c. 26. *Intercessit Tiberius, quo minus in acta sua iuraretur*, id est impediuit contradicendo. Tandem etiam de *sponsionibus* vsitatum est, Cic. II Philipp. cap. XVIII, *omabat (Curio) ut te contra suum patrem si HS sexagies peteret, defenderem, tantum enim se pro te intercessisset.* Idem Attico suo VI Epist. I *intercessisse se pro iis magnam pecu-*

pecuniam, ubi Manutium consulas, ad quem etiam Cl. Græuius ablegat, & ipse spondere pro pecunia quæ mutua sumitur, interpretans. His alia notio, nempe supplicandi pro aliquo, vulgo superadditur, immo sola fere superest in vulgari sermone: quam nobilissimus Borrichius ex Cicerone probat ad Attic. x, 9 quæ Cœlii epistola etiam ad Famil. viii, 16 reperitur, nec vero scripta est post victoriam Cæsaris, ut vir laudatus existimat, sed primo belli ciuilis anno, cum Pompeius vrbe fugeret, Cæsar Roma in Hispaniam iret, ut tergum sibi præstaret tutum. Nullus, inquit vir cl. hic se opposuit tribunus plebis. At Corradus & Manutius verba Cœlii, his intercessionibus plane incitatus est Cæsar; de L. Metello tribuno pl. interpretantur, cuius intercessionem Dion Cassius lib. xli p. 161 auertit, id est contradixit: & ipse, Cæsar de illo 1 Ciu. B. c. 33. res ait, quæcumque acturus Cæsar erat, impedis.

diisse. Deinde opponitur Cicero-
 nis *intercessio* 1 ad Attic. Epist. iv.
 Mihi vero neque heic supplicatio
 videtur intelligenda, sed conten-
 tio, qua subdiosa perferenda e-
 rant, vt ex sequente V epistola ma-
 nifestum est. Nec Suetonii verba
 Cæs. c. 30 significant aliud, quam
tribunos plebis (erant autem M. An-
 tonius, importuni ingenii homo,
 & Q. Cassius Longinus) *pro Cesare*
intercessisse, non certe supplici habi-
 tu, sed minaciter & imperiose, quo-
 rum actionem Dion ineunte xli
 libro *ἀναγκάσει* vocat, & Cicero ii
 Philipp. cap. 21 talem, vt promeri-
 tus importunitate Antonius fue-
 rit, qui securi percuteretur. Hæc
 ex vsu auctorum disputata sunt:
 non autem negamus, quia genera-
 le *intercedere* est, etiam alteri notio-
 ni conuenire posse, in qua nihil ni-
 si certiora exempla desideramus.
 Exemplo forsan ambiguus Iulius
 Ciceronis est lib. vii Epist. xxvii
Vtinam semper esses tribunus, inter-
ces-

cessorem non queres. Adde Manutii interpretationem.

IN TANTVM, VT &c. Aliquando dubitavi de huius formulæ Latinitate. Ereptâ dubitatio est optimorum auctorum lectione, Columella 1, 8. *Nec in tantum postmodum exuberat, ut rem amissam restituat.* Seneca Quæst. Nat. III, 24 *quædam [aqua] feruent in tantum, ut non possint esse usui.* Plinius XXXIV, 12 *stomacho res contraria in tantum, ut quibusdam olfactu modo vomitiones moueat.* Adde x, 53.

OFFICIUM varie significat, in primis autem, quod quisque debet facere, Pflicht und Schuldigkeit: deinde beneficium, quia officia, quæ amicus amico præstat, sunt beneficia. An vero pro honoribus & sparta etiam dicatur latine, disquiritur. Non nego plane, nectamen id in vniuersum & sub quauis dicendi forma fieri posse concedo. Nepos Eumene cap. 1 *nemo ad id officium (scribæ) admittitur, nisi bo-*

nesto loco. Suetonius Vesp. cap. xvi *procumtorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promouere.* Plinius Epist. i, 10 *Distringor officio ut maximo, sic molestissimo, & Panegy. cap. xci. Non-*
dam biennium compleueramus in offi-
cio laboriosissimo & maximo. Quid vero sentiendum de coniunctis **PUBLICVM OFFICIVM**? Quintilianus iii, 7. princip. *Funebres laudationes pendent frequenter ex publico officio, atque ex SC. magistratibus saepe mandantur.* Nihilominus recte dicimus, petere honores, honoribus operam dare, gerere & administrare rempublicam, honore abire, prouincia decedere & id genus alia, quæ verba minus bene tum officio coniunguntur, ut officium petere. Est quidem de officio decedere etiam Ciceronis Orat. in Verr. quæ Proœmium dicitur, cap. x, sed idem notat, quod peccare. Cautè ergo & cum auctoribus classicis loquendum est.

POSITO, absolute, vel sequente *quod*, non videtur purum. Pronomen enim adiiciendum erat sexti casus. Cic. iii Fin. cap. viii *Quo posito & omnium ad sensu approbato: & de Vniuerso cap. iv ineunte*, Hoc posito, quod sequitur, videndum est. Gellius ii, 8 *Tum deinde eodem ipso, quod omiserat, quasi posito concessoque, ad confirmandum aliud vitur.* Eadem ratio est verbi constituto. Cicero Quæst. Nat. ii, 30 *quo constituto, sequitur, eam esse generatam.* Loco *Quod* Coniunctionis, infinitus Modus sequitur, magis tamen Verbi forma, quam Participii, quod propter Pronomen, ut diximus, non indiget noua constructione. Exemplum iam non aliud succurrit, quam Iul. Firmici de Relig. profana p. 6. *Pone, hanc veram esse sacrorum istorum rationem.* Pro hoc *pone* elegantissime ponitur *fac*, vel *finge ita esse*. Cic. ii Philipp. cap. xxiv *Fac, id te dedisse mihi, quod*

*non ademisti : & Curtius IV, 10. 29
finge, iustum intulisse te bellum.*

PRAESVPPONO an probatæ
Latinitatis sit, subdubito.

PROLONGARE Plinio tribui-
tur XII. 3, & Senecæ Benef. V. 17,
sed vtrique falso. Meliores enim
libri *prorogare* habent. Sic *propa-
gatio temporis* est, quæ barbare pro-
longatio dicitur, lib. v Cicer. epist.
xv sect. 7 vbi & Græuium *prorogare*
velim consulas.

QUANDOQUE vbiuis hodie
pro *interdum* positum videas: an
recte & ex vsu veterum Latino-
rum, id vero est quod dubitamus.
His enim frequenter idem erat ac
quandocunque, quod summi viri
Gronovius ad Liuium I, 24. 30.
Græuius ad Suetonii Claudium,
cap. 1, Buchnerus ad Fabri The-
saurum, ostenderunt. Deinde e-
rat *aliquando, olim, einstig einmal*.
Cic. Epist. vi, 19. *Ego me Astura diu-
tius arbitror commoraturum, quoad
ille quandoque veniat.* Suetonius
Nero-

Nerone c. 33. *Britannicum ne quandoque apud hominum gratiam paterna memoria prævaleret, veneno adgressus est.* Et ita apud Suetonium sæpe. Vide Indicem Berneggeri. Tertiæ vero notionis pro *interdum* adhuc nullum exemplum in antiquitate deprehensum est. Vulgo iactatur hoc sensu Horatii illud

-- *quandoque bonus dormitat Homerus,*

de Arte v. 359, sed perperam, verbis mutile allegatis. Præcedit enim *Indignor*, post quod *quandoque* est *quandocunque*, ut Horatius etiam hac voce usus est iv lib. ii oda:

*Concines maiore poeta plectro
Casarem, quandoque trahet feroces
Per sacrum clium, merita decorus
Fronde, Sicambros.*

Deinde Cicero de Senect. cap. x. obiicitur: *nunquam optat, ut Aiacis similes decem habeat: at ut Nestoris quandoque.* Sed a castigato opere Gruteri abest illud *quandoque*. Tor-

sic me maxime locus Plinii Epist. 1,
 10 *nam id ipsum quandoque contin-*
git, quod Catanzus exponit *nra*.
 Aldina vero 1508, & Basileensis 1521,
 habent *quando non quandoque*.
 Hen. Stephanus *quandoque*, at in
 margine *aliquando*, incertum, num
 ut lectionem variantem, an ut in-
 terpretationem. Nihil certi ergo
 demonstrari potest, nisi Senecz
 forsan locus Quæst. Nat. lib. 1 cap. 1
 extremo aliquid, si saluus est, ad-
 feret: *Quandoque igitur sunt tem-*
bes, quandoque clypei, & vasterum,
imagines ignium, ubi in talem materi-
am incidit similis causa, sed maior.

QVIDQVID SIT frequens in
 omnium ore, sed pauci recte adhi-
 bent. Veteres Indicatio utuntur.
Quidquid est, Quidquid erit, & Quid-
quid id est. Vid. Plaut. Cureul. Act.
 VI. sc. 11 Cic. IV Catil. c. 111. Virgil.
 Æn. II. v. 49 & lib. V. v. 710. Se-
 nec. de Ira II, 2. Coniunctiuo de-
 mum in oratione obliqua & dubi-
 tante, ut apud Liuium 1, 59. Ve-

rum hæc verba non referunt id, quod nostrates per *quidquid sit* intendunt, nempe *es sey dem wie ihm wollet* quam formulam ita veteres expresserunt: *Sed quo quo modo se illud habet.* Cic. pro Ligar. cap. vii extr. *Quoquo modo autem se res habet.* Idem Epist. xiii, 37. *Vt cum quænam se res habet* Liuius xxxvii, 54. *Vt se res habet.* Seneca Epist. xix. pro *ut ut*, quemadmodum Cicero hanc ipsam formulam quoque per *sed ut est* Epist. xvi, 18 reddidit, ubi ~~ut ut~~ Græuium adi, qui Lambinum notat *ut ut* substituentem, quia *ut* interdum & *ut ut* idem sunt.

REDEMTA PAX AB HOSTIBVS. Cl Vorstius de Susp. Lat. cap. xiii regulam dat, Verbis Passiuis, si Actiuum capax fuerit præpositionis *A*, minus apte in Passiuo eandem Præpositionem apponi, ut causa efficiens significaretur, cuius vis tum omnis sit notare terminum, a quo aliquid arcessitur, v. g. *Cæsar Ciuil. i, 6 pecunia a mu-*

nicipiis exiguntur. Sallustius Oratione Lepidi contra Syllam: *Quid a Pyrrho, Hannibale, Philippoque & Antiocho defensum est aliud, quam libertas?* Liuius xxxiii, 44 *extrem. nequidquam liberatam a Philippo Græciam fore.* Iustinus xliii, 5. 9 *Massilienses a Gallis redemptam pacem cognouerant.* Val. Maximus iii, 7. 1. *cum a L. Scipione ex pecunia ratio in curia reposceretur.* Nequaquam in his sensus est municipia exegisse pecuniam, aut Hannibalem defendisse libertatem, aut Gallos redemisse pacem, aut Scipionem poposcisse rationes; sed omnia contrario se modo habent, & A in his non efficientem, sed æque, ac in actiuis horum verborum formis, terminum, vt vocant, a quo significat. Præter exempla, superius adducta, multa collegit laudatus Borrichius Analect. p 48 qui consuli potest. Cum vero nulla regula sine exceptione sit, non desunt etiam heic exempla, quæ in contrarium pro-

ferantur, maxime in *redimendi* verbo. Suetonius de Grammat. c, 19. *Scribonius Aphrodisius Orbilii servus, mox a Scribonia redemptus & manumissus.* Quintilianus Declam. CCCXLIV. *redempta meretrix a diuite.* Tacitus Hist. III, 34. *a propinquis occulte redemptabantur.* Nihilominus tutissimum in ambigua hac syntaxi est, id imitari & usu tenere, quod linguæ genio quam proximum est, & minus parit obscuritatis.

SALTEM secundum Vossium minuendi, non excludendi, Particula est, seu *Minimùm* significat, non *Tantum*. Dubitavi in Antibarbaro de loco quodam Quintiliani x, 2. Non dubius, sed plane sibi certus est nobiliss. Borrichius de auctoritate Virgilii, Ovidii, Lucani, Plinii, quibus *saltem* sit idem quod *tantummodo*. Virgilius quidem Georg. I. v. 500

Hunc saltem everso iuvenem succurrere sacro

Ne prohibere.

Et Æneidos IV. v. 327.

*Saltem si qua mihi de te suscepta
fuisse*

Ante fugam soboles.

Ovidius Trist. I Eleg. VI. v. 36.

*His saltem vestra detur in vrbe lo-
cus.*

Lucanus lib. II. v. 700 de Pompeio
Italiam deserturo,

*— liceat sibi perdere saltem
Italiam.*

Plinius XIII cap. XI *cum in Sebenny-
tico saltem eius (Ægypti) nomō omnis
ebarta nascatur.* Attamen pace e-
ruditissimi viri liceat mihi de Vir-
gilii, & forsan etiam Ovidii sensu
dubitare. Sæpe accidit, vt materia
sermonis ferat, quo *saltem* vtroque
modo exponatur, ita tamen, vt v-
na interpretatio sit genuina, alte-
ra, vt philosophi loquuntur, per
materiam æquipollentiam. Qui
horum poetarum perlustrauerit
verba, deprehender, non inepte il-
lis cum significatione *minuendi con-*

uenire. Liuium xli, 6 idem in Analectis addit dicentem : *Eadem & Sardonum legati nunciabant, omnes, ut urbibus saltem (iam enim agros deploratos esse) opem senatus ferret.* Quid incommodi, si interpretarer, daß zum wenigsten der Rath möchte den Städten beyspringen / weil es doch schiene um das offene Land geschehen zu seyn ? Plinii locus Dalechampionio suspectus fuit usque eo, ut solum pro saltem substituerit. Sed nolim negare, Argenteo sæculo ita, licet raro, dici cœptum, idque Lucani versu, & forsân etiam Quintiliani loco, quem supra notavi, & aliis Plinianis II, 93 pr. VII, 44 a Borrichio monstratis videtur probabile fieri. Inferior autem Latinitas ab hoc minus abhorruit. Exempli gratia : Hieronymus Epist. cix extrema : *Nos Ebraea lingua saltem parvam habemus scientiam.* Nec id insolens videtur Apuleio fuisse. Minus autem ferendum est, quod nostra ætate plerique

que fere crebrius Particula *saltem* in exclusione, quam, *solum, tantum, tantummodo*, vtuntur. Hoc enim certum videtur, Ciceroni, principi magistro Latinitatis, nunquam *saltem* pro *solum*, semper pro *ad minimum* vsurpatum fuisse. Ad Plautina, quæ obiiciuntur, respondit Vorstius cap. xviii de susp. Latinitate.

ORETENVS an Latine pro *memoriter* & *ad verbum* dici potest in formula, *oretenus recitare*? Tacito quidem sonat *verbis, sine re*. Annali xv, 43. *Græca doctrina ore tenus exercitus: animum bonis artibus non induerat*. At proprie eidem Annal. 1, 70 est *vsque ad os*: Verba sunt: *modo ore tenus exstantes*, intellige, ex aquis. Add. Gell. xvii, 8.

VENENOSVS Vossius proscripsit: reduxit Borrichius non modo Theodori Medici suffragio (hoc enim imbecillius foret) sed ipsius etiam Varronis. Theodori exemplum,

plum, quod vir clarissimus allegat, non inueni: alia autem eiusdem auctoris. Lib. II Log. cap. VIII *venenosum humorem*, & cap. IX *venenosam potionem* dixit. Varronis hæc sunt de Re Rust. lib. I cap. II *Quædam pecudes cultura sunt inimicæ, ut venenosa, istæ quas dixisti, capra.* Ita editione Basileensi 1533 expressum est: sed Aldi Veneta, & Colonien- si, & alia Basileensi, & accurata Scalligeri, ac *veneno*, ut *istæ*, quamuis neque hæc lectio satis salua habeatur. Videant ergo & certiora pronuncient, quibus copia est manuscriptorum codices inspiciendi.

VITUPERIVM cum Goclenio olim in sordidis, saltim inusitatis, posuimus: *vituperatio*, ut Cicero- nianum, laudauimus. Confirmauit nos consensus sæculorum, quod ne quidem in infimæ ætatis scriptoribus *vituperium* reperire licuit, sicut pro Ciceronis *refrigeratio*, frequens est apud posteriores *refrigerium*. Gruterus autem Cicer. III de

de Leg. cap. x edidit *Isto modo vel consularis vituperio est*, & in Notis adscripsit: *Recepi contra omnes editiones hanc lectionem repositam a consensu Palat. consensu.* Alii omnes habent *vituperabilis*. Testimonium ad sensum dignissimum esset, si exemplum aliud vel mediæ inferioris ætatis prostarat.

VNVS ET ALTER Germanismi crimine absoluit Vorstius: addo suffragia Ciceronis apud Macrobius Saturn. ii, 12. Horatii ut Epist. i. v. 74. &c. An vero æque bonum VNVS VEL ALTER? Propius quidem a Germanismo abest, nec tamen Latio ei formulæ interdictum fuit, si *aut pro vel substituat*ur æquiualens. Cicero v. Fam. Epist. ult. *excepto uno, aut summum altero.* & ad Attic. vii Epist. viii *in uno aut altero die.* Liuius xxvii, 31 *cum uno aut altero comite.* Plinius Panegyri. cap. 45 pr. *excepto patre tuo, præterea uno aut altero.* Seneca Epist. vii. *Aliquis fortasse unus*
AUT

aut alter incidet. Tacitus Agric. c. 40 *uno aut altero amicorum comitatus.* Exempla, quæ VEL interpositum habeant, nondum vidi. Tacitus tamen VE encliticum etiam pro *aut* adposuit, Hist. 1, 83 *unus alterue.* & Germ. cap. 6 *paucis lorice: vix vni alterius cassis, aut galea.*

Sicut Latini malunt *Non autem*, quam *Non vero*, vt supra cap. v ostendimus: ita contra amant *NEC VERO*, *NEQUE VERO*; fugiunt *Nec autem*, *Neque autem.* vide Val. lam d. l.

* *Ego vero* in elegantissimis numeratur, vt notum est: nec tamen malum *Ego autem.* Videatur velim Cicero pro Mil. cap. 34 Attic. ix, 15. Liuius xxi, 18.

Sunt etiam Ecclesiæ quædam vindicanda vt *BENEDICTIO*, id est, felicitas diuinitus data. Ipsa vox perrara Latinis est, & *laudem* significat, vt Apuleio in Asclep.

SVPERINTENDENS, quasi nouis-

nouissimum verbum, negligitur a Lexicorum auctoribus. At etiam Hieronymus Petri ἡποκοπιῶντες i Epist. v, 2 ita vertit. Verba sunt Epist. LXXXV INSPICERE NON EX NECESSITATE, SED VOLUNTARIE IUXTA DEVM, quod quidem Græce significantius dicitur ἡποκοπιῶντες, id est, superintendentes. Et Augustinus de Ciu. Dei xix, 19 Exponere voluit [Apostolus i Timoth. iii, 1] quid sit episcopatus: quia nomen est operis, non honoris. Græcum est enim, atque inde ductum vocabulum, quod ille, qui præficitur, eis quibus præficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens. Ἐπὶ quippe super; ὑποκοπιῶν vero intentio est. Ergo ἡποκοπιῶν, si velimus. latine, SUPERINTENDERE possumus dicere.

Damnant Grammatici Superlativum REVERENDISSIMVS, nec absoluitur in tribunali veterum Latinorum. Sicut vero in Ecclesia multa tolerantur, quæ contra

analogiam Latinitatis sunt : ita etiam Episcoporum titulus tueri se poterit auctoritate Orosii, Cassiodori, & æqualium. Ille lib. vii, 37 sanctum Pascha vocat *reuerendissimos dies* : hic ii, 25. *ad reuerendissimum*, inquit, *senatum precepta transmissimus*. In Nouell. Constitut. cxxiii de sanctis Episc. cap. 32. *reuerendissimorum monachorum dispositione* : & cap. 33 de venerabilibus monasteriis & *reuerendissimis monachis formam dare* Paullinus Nolanus Epist. xxxviii (al. 29) ad Aprum sic etiam VENERANDISSIMVS dixit : & *honorandissimus* vii extrem.

CHRISTIANISSIMVS superl. Hieronymi est Epist. ci ad Pamachium de opt. gen. interpr. cap. 9, *vir omnium nobilium christianissime, & christianorum nobilissime*.

VEL pro SIVE improbavit Vorstius sub fin. cap. xviii de Susp. Lat. quibus hanc differentiam dat, vt

ut *sue* iisdē rebus diuerso nomine explicandis ; *vel* rebus interponatur diuersis. v. g. *Diana sue Phœbe*, non *vel Phœbe*. Et hoc quidem plurimis exemplis demonstrari potest. Vnum sufficiat : Quintilianus lib. i cap. iv Grammatici *vocabulum* *sue* *appellationem* *nomini* *subiecerunt* *tanquam speciem eius*. Quid vero de illo Ciceronis sentiendum iii Offic. cap. x *pace vel Quirini, vel Romuli dixerim?*

Præterea dubia nec dum satis probata sunt

ACCENSEO, adnumero. Nonius vsus est in *Accensi*. Lactantius lib. v cap. iii sect. 15 *religionis, cui fuerat accensus proditor factus est*. Sic tres codd. MSS. Emman. Goth. & Lips. i quæ si salua lectio est, *adscriptus*, interpretandum est.

FLAVEDO, flauus color.

HVMIDITAS, humor.

ITINERARIVM substantiuum. Nam adiectiuum est medii xvi scri-

scriptorum. Lampridius in Commodo cap. ix *itinerarii sumtus*. Auctor incertus Rei agrar. p. 148 ed. Gœs. *termini itinerarii*. adde Rigaltii glossam. Numatiani quidem poema *Itinerarium* inscribitur, sed is titulus suspectus est commentatori Barthio.

LVCTA. Onomast. vet. *Λύκτη* πάλη. Et Sidonius Apollinaris Epist. ii, 2 *palestritarum lucta*.

MANVDVCTIO analoga *manumissionis* vocabulo. *Ductio*, *reductio rudentum* Vitruvius dixit x, 19.

PROMOTOR, patronus, euergeta.

RATIFICO. Eleganter Nerua edicto apud Plin. Epist. x, 66 *rata & certa facere*.

SCORTATIO. *Scortator* autem Ciceronis est.

VARIABILIS & INVARIABILIS. Dico *mutabilis*, *immutabilis*, donec aliquid certi inueniatur.

Tandem differentia, quam pueri fin-

432 APPENDIX MISCELLANEA
ri fingunt inter AVDIRE & EX-
AVDIRE, vt illud simpliciter fit
Hören/ hoc Erhören/ siue precibus
adnuere; nulla est, Vtroque ve-
teres in vtraque notione inueni-
mus vfos esse. Cicero in Pisonem
cap. xix in quo dii immortales pre-
ces audierunt. Idem Attico iv, 8
Dic, oro te, clarius: Vix enim mihi
exaudisse videor. Contra Ouidius
ii Pont. Eleg. ix ad Cotyn, regem:

*Supplicis exaudi, iuuenis mitissima,
vocem.*

& xiii Metamorph. v. 856

————— *precesque
Supplicis exaudi.*





INDEX I

*Scriptorum veterum, &
recentium, bis Curis posteriori-
bus laudatorum.*

- A**ccius pag. 13. 312
Aggenus Urbicus 41. 319
Agraria rei scriptores 41. 431
Agroecius 96. 201
Albertus Aquensis 347. seq. 352. seq.
Alcimus Auitus 48. 181. 220. 228. 243.
253. 288. 290
Ambrosius 40. 55
Ammianus Marcellinus 39. 117. 143.
146. 149. 204. 207. 210. 252.
321. & aliis locis.
Anna Tanaquilli Fabri fil. 37
Annius Viterbiensis 400
Apicius 25. 120. seq. 124. 379
Apuleius 33. 76. 108. 124. 125. 129.
137. 147. &c. emendatus 366.
Arator 48. 137. 288
Aratus Latine 19

T

Arno-

I N D E X I.

Arnobius 36. 127. 129. 138. 143. 146.
 seqq. 155. 208. 211. 233

* Citamus paginas ex edit. Lugdun.
 Batav. 1651 variorum Notis illu-
 strata.

Asconius Pedianus 22. 83. 89. 98. 109.
 126. 144

Augustinus 40. 103. 205. 209. 261.
 296. 319

Auicenus 44. 275

Aurelius Victor, vide *Victor*.

Ausonius 44. 139. 166. 207. 332. 397

Barrerius Casp. 400

Barthius Casp. 201. 223. 240. 280. 292.
 295. 312. 325

ab eo dissensum 240. 297

de la Baune, Iacob 75

Beda 49. 122

Bellarminus 44

Beroaldus Phil. 380

Bochartus 13

Boeclerus Io. Henr. 21. 255

Bæthius 47

Borrichius Olaus, sæpius laudatus,
 quam ut numerus iniri possit.

Bosius Io. Andr. 59. 60

Bri-

I N D E X I.

Brito Guilhelm. 50.310.355.358

Brutus Dec. 87

Buchnerus Aug 56.234.336.341.416

Cacilius 13

Cæsar Iulius 15.56.58.70.73.179.

dubius 61.175. fragm. 333

Augustus 72

Germanicus 18.61

Calepinus notatus 142.295.305

Calpurnius 43.

Cantelius Petr. Ioseph. 55.131.357

Caper I' lau. 71

Capitolinus Iulius 36.93.145.154.165

181.249.252. & 253

Casaubonus Isaac. 164.239.250.273

Cassander Georg. 243

Cassiodorus 47.149.154.165.190.194.

226.240.312.319

Cato Censorius 14.73.230.328. du-

bius 215. spurius 400

Valerius 18

Catullus 17.71.90.196.387

Cellarius Iacobus 3.58.306

Celsus Cornel. 19.61.81.111.118.119.169

Celsus Iurisconsult. 136

Censorinus 35.155.186

T 2

Cba.

INDEX I.

- Charisius* 52. 71. 349.
Chrysologus Petrus 41
Ciacconius 175
CICERO passim.
 eius laudes 15
 ei falso tributa 58. 68. 138. 142.
 229. 295. 349 (292
Claudianus poeta 45. 77. 126. & falso
Claudianus Mamertus 47. 129. 157.
 208. 224. 301. 317. 321
Codex Iustinian. 215. 229. 230. 254. 295
 Theodosian. 69. 225. 293
Columella 22. 32. 62. 112. 114. 160. 168
Corippus 48
Cornel. Nepos vide *Nepos*.
Cruquius 56
Curtius 23. 65. 123. 160. 239. 324.
 emendatus 391
Cyprianus 35. 116. 151. 204. 211. 216.
 220. 227. &c.
Cyrilli glossa vide *Glossarium*
Dalechampius 423
Daumius Christian 142
Dausqueius Claud. 188
Dialogus de Oratoribus 236
Dicys Cretenfis 123

Dige.

INDEX I.

Digesta Iuris 103.223.237. adde *Ulpian.*

Diomedes grammatic. 52.187.401.

Dion Cassius 411. seq.

Donatus Ælius 52.128.247

Dracontius 45

Ennius 13.230.366

Ennodius 47

Erasmus Roterod. 150

Eugenius Toletan. 48

Eumenius panegyrista 38

Eutropius 38.110.126.129.146.189.

207.229.254

Fabricius Georg. 220

Falconia 45

Fannius historic. 11.179.

Rhemnius vide *Rhemnius.*

Faustus Reiensis 292 (366

Festus Sex. Pompeius 189.217.229.

Firmicus Iulius 36

contra gentes 115.156.209.219

Astrolog. 136.206.219 295.299

Flaccus, vide *Valerius & Siculus.*

Florus 24.165. emendatus 367

Fortunatus 48.146.

Forum Rom. 139.142.152. vide etiam

Stephanus Rob.

T 3

Freins-

INDEX I.

Freinsheimius 98. 245

du Fresne, Carol. 121. 202

Frontinus lul. 23. 166. 167. 174. 176.
239

Fulbertus Carnotens. 50

Fulgentius mythologus 47. 145, 224
320

Fulgentius Ruspensis 47

Furinus poeta 353

Gallus Cornel. 18. *supposit.* 225.

Gellius 26. 89. 103. 117. 129. 211. & alibi.
emendat. 311. 354-388.

Germanicus vide Caesar.

Giffenses, grammat. auctores, 96

*Glossarium Cyrilli Philoxeni & alio-
rum a Labbzo collect.* 189. 204.
294. 296. 298. 310. 314. 317. &c.

Glosse aliz 202

Goclenius notatus 93

Godofredus Dionys 270

Goduinus Ioann. 86

Gravius Io. Georg. 8. 79. 89. 109.
162. 196. 416

Gratius Cynege. 18

Gregorius Magnus 55

Turonensis 48

Gro-

I N D E X I.

- Gronovius* Io. Fried. 63. 265. 362. 416
Grotius Hugo 245. fin.
Gruterus 57. 66. 203. 371. fin. Vide &
inscriptiones.
Gudius Marquartus 91
Guilielmus Tyrius 347. 352. 368
Harduinus Ioann. 117. 226. 360
Heinsius Nicol. 66. 291. 292. fin.
Hesiodus 332
Hieronymus 40. 75. 117. 131. 138. 140 145
 213. 261. & aliis pæne multis locis.
Hilaritus 40
Hirtius 16. 71. 271
Horatius 17. 56 331. seq. 342. 377
Hyginus 33. 163. 168. 344
Inscriptiones Gruteri 71. 124. 127. 139
 166. 232. 234 256. 312. 409.
 Reinesii 214. 375 394
Interpres Vulgatus, vide cap. VIII
 passim.
Iornandes 48. 151. 228. 312
Isidorus Hispalens. 48. fin. 137. 195.
 293. 303 309
Julianus iurisconf. 140
Julius Obsequens vide *Obsequens*.
Iuo Carnotensis 50

INDEX I.

Iustiniani Institutiones 174. 327

Iustinus 27.70.88. 100. 106. 123. 165.
fin. 363

Iuvenalis 31.73

Iuvenius 44.202.229.230.336.

Laberius 17

Laetantius 36.118.126.146. 177. 204.
211.216. 231. emendatus 302

Lambinus 100. notatus 390

Lampridius 36.203.210.252

Latinus Pacatus 38

Laurenbergius Ian. Gul. 230

Lindebrogius Fr. 325

Lindenius Io. Ant. 20

Lipsius 57.58. 141. 364

Linus 16. 54. 63. 73. seqq. & aliis
multis locis. Falso citatus 220

Liuii epitoma 25. emendata 313. 362

Lucanus 30.78.116 338

Lucilius 13.229.333

Lucretius 14. 198

• *Lupus Seruatus* 50. 316

Macer 46. 121. 300. 310. 359

Macrobius 39 96.140.144.153. seqq. &c.

Mamertinus panegyri. 38. 157. 231. 237

Mamertus vide *Claudianus*.

Mani-

INDEX I.

- Manilius* 18. 203
MSS. Apuleii 366. 380. *Nepotis* 59
Sueton. 163. *Val Max.* 131. 195. 356
Manutius Paullus 84. seq. 411
Marcellinus vide *Ammianus*.
Marcellinus Comes 47
Marius Victorinus 44
Martialis 31. 203. 340
Martianus Capella 48. 139. 307
Mela Pomponius 21. 70. 114. 178. 331
Metaphrasta Casaris 70
Eutropii 332
Minucius Felix 351. 44. 190. 208. 212.
 246
Miscella historia 377
Modestinus iurisconf. 34
Modestus 35
Morhofius Dan. Georg. 8
Mosellanus Petrus 147. 388
Muuckerus Thom. 34. 322
Muretus Anton. 196
Navius 13
Nazaeus panegyrista 38. 249
Nemesianus 43
Nepos Cornel. 15. 59. 80. 92. 343
Nizolius 2. 71. 87. notatus 105. 229

I N D E X I.

Nonius Marcellus 52. 54. 66. 229. 239
294. emend. 270

Nouellarum Versio Lat. 313. 318

Numatianus vide *Rutilius*.

Obsequens Iulius 39. 270. quando vi-
xerit 271

Oiselinus Iacob 311

Oliuerius Arzignanens. 357.

Onomasticum vetus 294. 314

Oppius 16

Optatianus Porphyrius 43

• *Orosius Paullus* 40. 130. 145. 146. 204.
217. 224. 265

Ouidius 17. 54. 55. 61. 65. 70. 92. spu-
rius 295

Pacatus vide *Latinus*.

Pacuuius 13. 224. 229. 333

Paanius 332

Palladius 25. 32. 105. 108. 114. 120. &
aliis locis.

Panegyristæ anonymi 74. 213. 226

Papinianus 1C. 34. 403

Parvus Philipp. 112. seq.

Paulinus Nolanus 40. 45. 146. 148.
213. 219. 251. 255

Petrocorius 46. 192

Paul.

INDEX I.

Paulus IC. 34. 65. 394. 403

Pedianus vide *Asconius*

Pedo Albinouanus 18

Persius 29

Peruigilium Veneris 141

Petronius 27. 72. 111. 235

Petrus Chrysologus 41

Phadrus 28. 57. 89. 164. 167. 246. 251

Pichena 301

Pichon Iulian. ibidem

Pincier Ioann. 85. 187

Pitbæus P. 337.

Plato 59. scq.

Plautus 14. 181. 312. 365

Plinius maior 22. 76. 80. 114. 128.

160. suspectus 279. emendatus
226

Plinius iunior 23. 112. 114. 117. 129.

161. &c. emendat. 174. 238. falso
- citat. 213

Pomponius IC. 34. 204

Pomponius Mela vide *Mela*.

Popma 102. 303. 337

Priapei Lusus 62

Priscus Ioan. 350. 366. 380

Priscianus 52. 176. 178 193

INDEX I.

- Propertius* 17. 79. 244 340
Prosper Aquitanicus 47. 309. 326
Prudentius 45. 75. 126. 137. 152. 153 &c.
Pyrrho Guilielm. 291
Quintilianus 6. 22. 69. 72. 87. 98. 173
 &c. emendat. 366
Rabanus Maurus 50
Reinesius Thom. 24. 409. add. *In-*
scriptiones.
Rhemnius Fannius 43. 379
Rhodius Ioann. 81
Riccobonus 102
Rutgerius Ianus 19
Rutilus Numatianus 45. 296. 325
Rufus Festus vide *Sextus Rufus.*
Sadoletus Iacob 150
Salustius 15. 63. 69. 71. 74. 191. emen-
 dat 224
Salmasius 24. 54. 117. 141. 177
Saluianus 47. 127. 268. 300. 306
Scaliger Ioseph. 150. 196
Iul. Cæf. 349
Scaurus grammatic. 72. 406
Scholiasies Horatii 56. seq.
Scioppius sæpe numero citatus.
Scribonius Largus 20. 125. 201. 223

Seda.

INDEX I.

- Jedalius* 45.116.199.264. 290
Seneca Philos. 21.72 73. 89. 113.163. 166
 &c. falso citat. 364
 Rhetor. 21. 89. 166
 Tragicus 29.90.95
Serenus Semonicus 43
Servatus Lupus 50
Servius 51.55.169.202. 218
Sextus Rufus 38. 203. 238. 251. 252. 293
 319
Siculus Flaccus 41
Sidonius Apollinarius 47. 114. 129. 141.
 203. fin. 254
Sigonius 88.313
Silius Italicus 31. 64. 188. 227. 243.
 254
Silvius Philippus 79
Solinus 34.77.151.153.178. 192.205.210.
 220. &c.
Spartianus 36. 96.144. 220
Statius Papinius 21. 134. 164
 Achilles 287
Stephanus Rob. 178.188. 292. 363
Stewegius 222
Suetonius 24.78.110. 162: seq.
Sulpicia 32

INDEX I.

Sulpicius Severus 41. 70. 116. 176. &
alibi.

Symmachus 39. 154. 175. 205. 207. &c.

Syrus Publius 17

Tacitus 24. 64. 67. 106. 160. emend.

301

Terentius 14. 88. 340

Terentianus Maurus 32

Tertullianus 35. 74. 137. &c. emen-
dat. 300. 304.

Theodorus Medicus 424

Theodosianus Cod. vide *Codex*.

Theodulpbus 49 297

Tibullus 17. 61. 162. 196. 235

Tiro libertus 71, 206 322

Trebellius Pollio 36. 73. 165. 206. 210.

240

Turnebus 138

Valerius Cato 18

Flaccus 30. 77. 99. 243

Maximus 21. 72. 132. 167. 194. resti-
tutus 130. 131. 356

Probus 193


Valefius Hadr. & Henr. 27. 349

Valla Laurent. 150. 177. 236. 337

Var.

INDEX I.

- Varrō* 16. 54. 88. 98. 99. 214. corruptus 216. 269. suspect. 102 425
Vegetius 39 153. 200. 217 224. 303
Velleius Paterculus 20. 63 255
Victor Aurelius 37. 215. 221. 224. 226
Vinctus Elias 368
Virgilius 17. 65. 70 332. 338
Vitruvius 16. 55. 59. 62. 77
Vlpianus 34. 202. 204. 215
Vopiscus 36. 153. 202. 203. 207. 220. 236
Vorstius Ioann. sæpissime laudatus.
Vossius Ger. Ioan. utramque paginam facit.
Vulcatius Gallicanus 36. 324
Vulgatus interpres. vid. cap. VIII.
Zosimus 332



IN-



INDEX II

VERBORVM.

A.

Abbatissa 345
abbreuiare 200
abbreuiatura 346
abinuicem 324
abominabilis 292
abominamentum ibid.
abominanter ibidem.
abominatio ibid.
abominor 54
absentare 292
abs re 387
abstracta superflua 254
absque 173
absque, *prater*, 238
absque illo esset 174
abyssus 290
accenseo 430

acce-

INDEX II.

acceptum ferre 130

referre 131

a'confiliis cui 234

acquisitio 174

additicius 135

additio 107

adhibere curam 95

diligentiam *ibid.*

fidem 397

adolescens 54

adoptatio 174

aduersitas 160

adunare 107, 160

aduocare 370

agritudo 160

aguanimenter 200

aguipollentia 346

agur 331

agra, era 293

aternabilis *ibidem*

aternalis 308

Æthiopissa 294

affectuosus 293

afficticius 115

agon *mors* 346

ago-

I N D E X II.

agonizo ibidem
 albedo 200
 albitudo 201
 albor ibidem
 alia super alia 94
 aliququaliter 347
 aliquanti, *aliquot*, 201
 aliquatenus 108
 allcuamentum 54
 alta voce. 90
 amanuensìs 110
 amare, *solere*, 332
 amodò 324
 an, an, 161
 an, vel, 389
 anathema 258
 anathematizo ibid.
 angariare 202
 angustia 371
 angustiare 347
 animalculum 347
 animitus 294
 annihilare ibidem
 anno circumacto 90
 vertente ibid.

an-

I N D E X II.

annullare 294
 antepenultimus 194
 anterior 175
 apostata 290
 appropriare 295
 aptitudo 347
 apud, *in*, 238
 Arabissa 294
 archium 347
 armistitium *ibidem*
 asportare 372
 asserere, affirmare, 104
 assertio 105
 assistentia 347
 assuefactio 347
 attinet me, *ad me &c.* 194
 auctor, *scriptor* 80
 augmentare 295
 aurarii 202.

B.

Balbuties 348
 baptizare 258
 baptisterium 258
 barbarismus quid? 6
 bellum, *proelium*, 239

bel-

INDEX II.

- bellum facere 91
- benedicere quem 235
- benedictio 427
- benefactor 348
- beneplacitum 295
- bestialis 136
- bibliothecarius 348
- bibo *onts* 136
- bigamia 397
- bigamus *ibid.*
- bimaritus 398
- blasphemia 258
- blasphemare *ibid.*
- boatus 348
- bona conscientia 132
- bona opera 259
 facere *ibid.*
- bona veniâ vestra 94
- bouinus 348
- brachium sæculare 389
- breuiarium 110
- breuiator 202
- breuio, *are*, *ibidem*
- brevis *subst.* 103
- burgus 295

Cal.

INDEX II

C.

Calcolare 203
 calculator *ibid.*
 cambire 349
 cambium 348
 captiuare 296
 caput *libri* 82
 cardinalis 54
 carminice 349
 carminicus *ibidem*
 carentia 349
 carnalis 259
 carnaliter *ibid.*
 casualiter 296
 causà, *ergo*, 96
 causari 372
 cautela 204
 certiorare *ibidem*
 certitudo 349
 cespitare 297
 cespitator *ibidem*
 ceu 332
 christianissimus 429
 circumactò anno 90
 clamose 110

clari-

INDEX II.

clarifico 289
 clueo, cluo 333
 coacte 136
 coequalis 111
 coetaneus 137
 coæuus 137
 cœi *plural.* 333
 cœlicus 297
 cœlitus 204
 coadiutor 349
 coincido ibidem
 collimare ibidem
 combibones 136
 combinare 298
 comitissa 350
 commendatorius 292
 commensalis 350
 commenticius 115
 commodare 82
 communicare cui 176
 communiter 372
 comparatum est CVM hoc 389
 compassio 298
 compater 359
 compatior 298

com-

I N D E X II.

compilare 372
 complacentia 350
 complices 299
 compluries 73
 compositio *medic.* 81
 computus 299
 concernit 350
 concerno, ibidem
 conciliare aliqua 95
 inter se ibid.
 conciuus 176. 351
 concordantia 352
 concupiscentia 260
 condescendere 352
 condolentia 352
 condoleo, cui 389
 confidentia 239
 confiscare 162
 confœderare 299
 confœderatio 300
 confortare ibidem
 confrater, 352
 confugium, 55
 confundi, 240
 congrue, 205

con-

INDEX II

congruus, ibid.

connumerare 138

conscientia bona 133

salua 134

consiliari 57

consistorium 139

consortium 111

constellatio 206

contemptus substant. 57

contradictio 392. fin.

contradictoria ibid.

contrario 59

contrarior 352

contribulis, ibid.

controuertitur, ibid.

conuersari cum quo 112

conuersatio 113

coordinare 352

copia 373

cor 398

cordatus 373

cordicitus 300

corporalis 162

correcte 352

correspondere 353

cra-

VERBORVM.

crapulari 300

creatura 260

credulitas 268

crepusculum 324

crucifigere 162

crux 374

cursorie 353

cuprum 206

curam adhibere 95

cyprium æs 206

D.

Damnum pati 91

dapifer 353

dare bibere 94

Datiuus cum Passiuo 341

deceptio 60

decollare 163

decrementum 177

decrementia 177

de die in diem 329

defectus, *a, um*, 61

deficit me 100. seq.

mibi ibid.

deitas 261

deintus 324

V

de-

INDEX II

delectabilis 104
delectabiliter 103
demissime 95
deprædari 140
deprædatio ibid.
deprædicare 375
deprecari 83
deprecator 87
deputare 241
derisio 353
desertum 399
desolare 375
desolatio 300
desolatorius ibid.
destructio 113
destructor ibid.
deteriorare 301
de verbo ad verbum 390
deuiare 207
deuotio 261
deuotus 262
diaconissa 294
dictio 400
diescit 353
dietim 353
difficiliter 178

diga.

VERBORVM.

digamia 398.
 digamus, *ibid.*
 dignanter 207
 dilationem pati 94
 discretus 375
 discurre 325
 discursus, *ibid.*
 dispensare 375
 dissitus 241
 distraho, *vendo*, 401
 disunio 1, 8
 ditio 376
 diuersimode 353
 diuise 354
 diuifim 354
 diuifibilis 402
 diuus 242
 dolorificus 354
 dolorofus *ibid.*
 dominus 377
 dominus noster 256
 dormitorium 114
 dubietas 207
 duciffa 354
 duellum 377

INDEX II.

E.

Econtra 301
 edecumatus 208
 edecumo, *ibid.*
 effigiare *ibid.*
 efformare 354
 ego autem 427
 eleemosyna 262
 elucescit 302
 epitheta poetica 345
 epitomare 203
 eptitomator, *ibid.*
 era, *vide* æra.
 eremita 263
 eremus *ibid.*
 erubescō cuius, 391
 erupit in hæc verba 402
 est. *licet*, 335
 ethnicus 263
 euadere in virum doctum 402
 exacte 114
 exaudire 377. & *clarius* 431
 excommunicare 163
 ex fratre nepos 182. 235
 exhibitor 208
 ex nunc 324

ex-

VERBORVM.

exorbitare 209
 exotericus 335
 explantare 114
 extemporaneus 354
 extraordinarie, 11, 355
 extrinsece 355
 extrinsecus *Adiect.* ibid.

F.

Facere bellum 91
 facere prælium 94.
 facilitare 355
 faciliter 177
 famiger 178
 famigerabilis 178
 famigerator, ibid.
 famigeratus. ibid.
 fauorabiliter, 114. 164
 femininus 62
 feriari 140. 158. 209
 feriatus 141
 festiuitas 226
 festum *Substant.* 115
 fictitius, ibid.
 fideiussor 403
 fides 264
 fidem adhibere 397

INDEX II

fidelis 264
 figmentum, 141 210
 filialis 355
 finaliter 355
 flauedo 430
 fluxus 403
 foemininus 62
 fornicare 326
 fornicari *scortari* ibid.
 fornicatio ibid,
 forpex 303
 fortalitium 355
 fortificare ibid.
 frontispicium ibid.
 fructificare 304
 frugifer 341
 frustraneus 355
 fulgidus 210
 fundamentalis 304
 fundamentaliter ibid.

G.

Gehenna 264
 genitor 335
 genetrix ibid.
 gentes 265
 gentilis 264

gen-

VERBORUM.

gentilitas 265

gentiliter ibid.

glorifico 289

gnatus 337

gratanter 210

gratitudo 356

grossus 304

grossitudo. ibid.

H.

Habet se res cum hoc 395

habitaculum 211

hactenus 404

hactenus, vt, 406

hac vice 253

harmonia latin. & german. 94.

hebdomadatim 356

hereditare 304

historiographus 145. 211

hodieque 63

hodierno die 95

homagium 356

hominium ibid.

hortamentum 63

hortulanus 212

hostimentum 365

humiditas 430

INDEX II

humiliare 305
 humilis 244
 humilitas ibid.
 hypocauftum 64
 hypocrisis 265
 hypocrita ibid.

I

Idem cum illo 392
 idiotismus quid? 6
 idololatra 266
 idololatria ibid.
 idololatr^{is} *femin.* ibid.
 ieiunare ibid.
 ignobiliter 178
 ignominiose 146
 ignoranter 305
 illatinus 356
 illegitimus ibid.
 illicite 64
 immaculatus 116
 immediate 358
 immediatus ibid.
 immensurabilis 310
 immo 378
 immoriger 358
 impatienter 116. 164

im-

VERBORVM.

imperfecte 116
 impertinens 358
 impiissimus 166.
 impingere 246
 implere legem 92
 implicare contradictionem 392
 impœnitens 267
 impœnitentia ibid.
 importantia 358
 impossibilis 212
 impossibilitas 213
 imprægnare 358
 impræsentiarum 178
 imprecatio 117
 imputare 64. 164
 inaduertentia 358
 inanimatus 64
 incapax 213
 incentium ibid.
 inceptor 146
 incertitudo 358
 incessabilis 306
 incessabiliter ibid.
 incessanter 307
 incidenter 359
 incolatus 214

INDEX II

- incongrue 205
incongruus ibid. 215
incongruens 206
incongruenter ibidem
inconsideratio 307
incoram 215
incorporalis 162
incorrigibilis 359
incredulitas 267
incumbere studiis 236
incunctanter 215
incurabilis 307
indefinenter 216
indiem 329
indigitare 217
indisciplinatus 307
indisciplinatio 308
indiscretus 375
indivisibilis 406
indubius 179
inducere animum suum 407
ineloquens 146
ineptitudo 347
inferna 271
infernalis 308
infernus *Substant.* 268

VERBORVM

infidelis 272
infidelitas 271
infideliter 359
infinities ibid.
infinitiuus cum nomine 342
post *Petendi* verba 344
infirmiter 147
influxio 219
influxus 218
infractus 246
infucatus 247
ingratitude 308
iniungere alicui 87
inobediens 309
inobedientia ibid.
inordinate, 118
inordinatim ibid.
inordinatio 147
inquam 378
insalutatus 66
insensibilis 219
insignium 359
in simul 164
insipidus 219
insolite 147
insubide ibid.

INDEX II

insufficiens, 359
 insufficienter *ibid.*
 insufficientia 309. & 359
 in tantum. *vt* 413
 intelligibilis, 118
 intercedo 410
 intercessio 411, 412
 intercessor 412. *fin.*
 internus 67
 interpretor *Passive* 247
 intimare 220
 intimatio 221
 intimator *ibid.*
 intimior 360
 intrinsece *ibid.*
 intrinsecus *Adiect.* 360
 inuariabilis 431
 inuasor 221
 inuerecunde 118
 inuerecundia 147
 inuisibilis 118
 inuisibiliter 148
 irrationabilis 119. 164
 irrationabiliter 120
 irrationalis, *ibid.* 165
 irreconciliabilis 360

VERBORVM.

irregularis 360

irremissibilis ibid.

ita 88.

iterum 378

itinerarium 410

iubeo tibi 98

iubeo, vt 180

iuramentum 221

iustificare 272

iustificus ibid.

iuxta 249

L.

Labilis 149

lacticinium 120

lapidicina 360

latet me 99 mihi 97

latinior, latinissimus 149

legem implere 92

seruare ibid.

letifer 341

letum 336

licite 150

licito 151

liga 360

ligatura 120

linea 249

INDEX II

litteratura 69
longanimus 309
lubricitas 360
lucta 431

M.

Magnifico 289
maledicere 235
maledictus 272
malefactor 348
manet me 101
 mihi, ibid.
manifestare 70
manuductio 431
martyr 273
martyrium ibid.
masticare 309
materna lingua 393
matricula 221
maxima *Subst.* 361
mechanicus 378
mediare 379
mediate ibid.
mediator 274. 379
mediatrix 274
medie 222
medietas ibid.

VERBORUM.

medium *Subst.* 380.
 meliorare 223
 meminisse sequente *Præterito* 96
 mensurare 310
 mensurabilis, *ibid.*
 meridionalis 311
 minorare 223
 miraculosus 361
 modernus 312
 mœchari 181
 molestare 222
 momentaneus *ibid.*
 momentaliter 312
 monocus *ibid.*
 mortifer 341
 mortificare 287
 mortificatio *ibid.*
 mortificus *ibid.*
 multoties 312.
 mundanus 275.
 mundialis *ibid.*
 mundus 274
 mutuo dare 393.
 fumere *ibid.*

N.

Natus *Subst.* 337

INDEX II

nec autem 427
 nec vero, ibidem
 necessitate 361
 neoterice 181
 neotericus, 181. 224
 nepos ex fratre 182. 235
 neque autem 427
 neque vero, ibidem
 neutralis 120
 nexi 88
 nigredo 151. 224
 nigreties 224
 nigritudo ibid.
 nigror, ibid.
 nimietas 165
 noctescit 353
 non vero 182
 notorie 361
 nouendecim ibid.
 nouercari 314
 nouissime 70
 nouissimus ibid.
 nullatenus 314.
 nullibi 183
 nuncium *subst. neut.* 195
 nuspiam 184

VERBORVM.

nutritius 71

O.

Obiter 72

obliuioni trado 93

obnixe rogare 131

obtenebrare 224

obuiare *ibid.*

occidentalis 165

octodecim 184

oculariter 314

officium 413

publicum *ibid.*

officio decedere *ibid.*

opus habeo 187

ordinarie 362

oretentus 424

orientalis 165

orthodoxus 276

oscitantia 362

P.

Pacificé 191

paganitas 277

paganus 276

parentes *cognati*, 250

parochia 362

paruitas mea 255

passio

INDEX II

passio 225

passiva cum Præpositione *A* 419

patronatus 304

ius *ibid.*

peccaminosus 362

peccamen 152

peccator 277

peccatrix *ibid.*

peccatus 152

penultimus 193

per causam, *ergo, causa*

perlator 225

perpendiculariter 362

persecutio 278

persecutor *ibid.*

persona 381

peruector 209

pestifer 341

pestis 337

pietissimus 166.

piissime *ibid.*

piissimus *ibid.*

pinnaculum 314.

plasma 314.

plasmare *ibid.*

plausibiliter 362.

plum-

VERBORVM.

plumbnm candidum 382

pluries 73

pœnitendus ibid.

pœnitentiam agere, 132. 278

pompare 315

pompose ibid.

populosus 152. 225,

porosus, 362

Possessiuum ingrate redundans 409

possibile 225

possibilitas 226

posito, quod &c. 415

potentatus 74

potis, pote 338

præcise 381

prædestinare 74

præfatus, *P. aff.* 363.

prænominatus, ibid.

præprimis ibid.

præsentaneus 121.

præsentare 226.

præseruare 363

præstantia tua 254

præsumo 250

præsuppono 416

præualere 75

pri-

INDEX II

primiceriatus 316
 primicerius ibid.
 primogenitus 278
 primoplasti 191
 primordialis 316
 primordialiter ibid.
 prioritas 364
 pro certo affirmare 94
 ponere ibid.
 prœlium facere ibid.
 pro & contra 394
 proficuus 316
 profunditas 153. 227.
 profundum 227
 prolixus 251
 prolongare 416
 prolongatio ibid.
 promanare 364
 promovere 251
 promoti 252.
 promotor 431
 promptitudo 365
 propalare 317
 prophetare 280
 propitiatorium ibid.
 proportionaliter 365

pro-

VERBORVM.

proprio Marte 93	recompensare 318
proprius 252	rectitudo 319
protectio 228. 317	redargutio 365
protector 227	redemptus a quo 419
pro tempore 381	redhostimentum 365
protoplasti 291	redhostire 366
proximare 76	refirmare 319
proximus <i>Subst.</i> 280	refrigerium 218
psalmographus 146	reiterare 366
pubes 339	reiteratio ibid.
purifico 289	remediabilis 187
puritas 154	temediare ibid.
pusillanimis 317	remediatio ibid.
pusillanimitas 365	remittere peccata 281
pusillanimiter ibid.	res ita se habet cum
pyrgus 296	hoc 395
<i>Q.</i>	respectiue 366
Qualis qualis 236	repatriare 35. 191
quandoque 416	repedare 228
quanti quanti 237	restaurare 166
quantocius 317	resurrectio 182
quidquid sit 418	reuerendissimus 428
quoad <i>cum Accus.</i> 382	reuersus est 167
<i>R.</i>	reuigio 366
Rancor 327	reolutio 154
ratifico 431	rigerosus ibidem
realis 365	torulentus 122
realia ibid.	rotunditas 77
rebaptizare 281	rubeus 188
rebus sic stantibus 395	<i>S.</i>
recenter 121	Sacerdotissa 354
recommendare 365	saecularis 283
	saecu-

INDEX II

saeculum ibid	seruare legem 92
sagittare 122	seruitudo 188
saltem 421	signanter 321
saluator 123. 168	sine omni 191
saluificare 188	situari 367
saluificus ibid.	situatio ibidem
salutari 339	siue 429
saluus, conductus 395	solœcismus quid? 6
sanctificare 288	sollitium 169
sanctificus ibidem	solummodo 189
sanguinem effundere	somnifer 341
312	somnificus ibidem
sapidus 124	somnolentus 155. 229
pro sapiens 220	sophisticari 368
saporus 124	sordities ibidem
saporatus ibidem	specialis 368
saties 188	specialiter ibidem.
scandalizo 282	spectare 382
scandalum ibid.	spiritualis 287
scandalosus 367	spondaicus 368
scholaris 319	spontaneus 125
scholasticus 320	stannum 382
scibile 367	sternutatio 125
scrutinium 190	stipendiarius 382
secularis, seculum,	strata 319
vide saecul.	studere 170
seducere 284	studio 383
eductio 285	subalternare 388
eductor ibidem	subalternus ibidem
sensus verborum 88	subaudire 125
septimana 320	subditus 383
septimanatim 367	subiectissime 95

sub.

VERBORVM.

subintelligo 368

subiugare 126. 170

sublimare 230

succellus 368

succellus ibid.

sufficiens 359

sufficiens 309. 321

summitas 155. 231

superciliosus 127

superflue 128

superfluitas ibid.

superfluus ibid.

superintendens 417

superioritas 369

supernaturalis ibid.

suppedaneum 156. 231.

supremitas 321

suspensus *ab officio*

384

sustentaculum 192

T.

Teneor, *oportet*, 317

textus 384

tollere oculos suos

409

tortura 385

totalis 369

totaliter ibidem

transmutatio 128

tribulare 328

triumphator 231

truncare 77

V.

Vacantia 369

valedicere 78^o

valet auctoritas 95

vane 232

variabilis 431

vasalus 369

vaticinium 128

vegetativus 369

vel *pro* sine 429

venenosus 424

venerandissimus 429

venit, *est*, 340

verba ita sonant 396

de verbo ad verbū 390

verbotenus 385

verifico 369

vergo 385

vernalis, *vernus*, 321

vernalis, *vernalis*, 322

versari circa rem 171

vice *cum* *Numerali-*

bis 253

hac, quadam, ibid.

versa 237

vicibus diversis 253

tot ibid.

victoriam referre 94

reportare ibid.

vigilax 79

viror 156

virtuosus 369

vif-

INDEY II VERBORVM.

visibilis 323	vnigenitus ibid.
visibiliter 322	vnio, <i>onis</i> 328
vituperium 425	vnire 157
viuificare 289	vnitus ibidem
viuificatio ibid.	vniuersaliter 102
viuificator ibid.	vnus vel (&) alter
viuificus ibid.	426
vltime 369	vocatio 387
vnanimiter 233	voluptuosus 128. 171
vnare 108	voracitas 129
vniformis 233	votum 387
vniformitas ibid.	vulgariter 79
vniformiter ibid.	vxoratus 370
vnigena 87	

CORRIGENDA.

Pag 25, versu 6 dele *fere*. pag 45 v. 8 RV-
TILIVS. pag. 69 v. 19-lege 14. pag. 78
v. 17 & *Senecam*. pag 157 v. 15 lege *ma-*
ri vnitur. pag 202 v. 7 ANGARIARE
pag. 506 v. 15 *inserto*. pag. 375 v. 15 DE-
MVM. pag. 430 v. 18 post *accensus* com-
mate distinguatur



wg.e"



